CONSTITVTIONES, ET ORDINATIONES PER ILLVSTREM, ET REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM

DOMINVM LELIVM GARVFFVM de Pijs de Bertinorio Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopum Sarsinæ & Comitem Bobij

ALIAS PRIMO EDITAE ET promulgatæ in Sancta Synodo Generali in Ecclesia Cathedrali Sarsinæ de anno 1536.

Et nuper de anno 1575. die 27. mensis Iunij in Synodo Generali in dicta Ecclesia Cathedrali Sarsinæ per præfatum Dominum Lelium Episcopum reformatæ, cum quàmplurimis additionibus ex sacro Concilio Tridentino annotatis.

Insuper, & cum additione peragendorum per ipsum Dominum Episcopum, seu per alios ab ipso deputandos in Visitatione suæ Cathedralis Ecclesiæ Sarsinæ, & in Ecclesijs curatis, & non curatis, Hospitalibus, & Pijs locis omnibus & quibuscunq; suæ Dœcesis.



BONONIAE, Apud Alexandrum Benatium.
Cum licentia Cur. episc. & officij S. Inquis. 1579.

INDEX CONTENTORVM IN HIS CONSTITVTIONIBVS.

Oleum

FINIS.



RATRES Cariſsimi. Cum Epiſcopus nihil aliud ſit, quàm ſpeculator; dicente Domino ad Ezechielem prophetam. Speculatorem dedi te in domo Iſrael. Cumquè Epiſcopum deceat die noctuquè ſpeculari, excubare, vigilare, & vndequaq; proſpicere ſuper Gregem ſibi cõmiſſum, & ab ouili Dominico inuaſiônes, et incurſus acerrimi hoſtis noſtri propellere, & arcere: Clericosq́, & ſubditos à recto tramite deuiantes corripere, & tanquàm oues errantes ad ipſum ouile reducere: Eccleſiæ quoque ſuæ libertatem eccleſiaſticis cenſuris tutari, eamque opprimentes comprimere. Cumquè Epiſcopi proprium ſit deſtruere, & penitus euellere, & omni conatu extirpare contraria queque, & repugnantia iuſtitiæ; nobiſquè, qui cum cæteris Epiſcopis (licet indigni) locum Aaron tenemus, quàm maximè cordi ſit, Deo auxiliante, præmiſſa omnia quantum pro imbecillitate noſtra valebimus peragere. Cum quàmplurima in noſtra Diœceſi enormiter contra iuſtitiam, & ſancta matris Eccleſiæ mandata non minus à Clericis, quàm à Laicis, perpetrari ſæpè ac ſæpius animaduerterimus, in maximam eorum animarum perniciem, & peßimum proximi ſui exemplum. Volentes (prout decet bonum paſtorem) omnibus, & potißimè delinquentium huiuſmodi animarum perniciei occurrere, & obuiare, & omnes pro poſſe ad rectum tramitem reuocare; ut quilibet impius, & iniquus à ſua impietate,

& iniquitate auertatur, & non moriatur in ea; sed ut magis viuens viuat. Vt faciliùs id consequi valeamus, & ut Clerici pariter, & Laici sciant quid sibi agendum, quid obseruandum, quidquè euitandum, fugiendumquè sit, quo quis se reformet ad vitam, & coram Deo nitidior, & gratior appareat: Nonnullas constitutiones honestas, æquas, & in nostra Diœcesi summopere necessarias, & opportunas iam diu digestas, & à nobis publicatas, & nuper in melius reformatas, hodie in hac sancta Synodo, ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac gloriosæ semper virginis Dei genitricis Mariæ, sanctorumq; Apostolorum, ac beati Vicinii protectoris nostri, edere, & promulgare decreuimus, & voluimus: eas nihilominus semper correctioni summi Pontificis, ac sanctæ matris Ecclesiæ humiliter submittendo. Quocirca vobis omnibus, vniuersis, & singulis subditis & subiectis iurisditioni nostræ, per hæc scripta mādamus, quatenus eas libenti animo in iudicijs, & extra suscipiatis, & quicquid in eis cōtinetur, prout opus fuerit, exequamini, & adimpleatis.



De omnipotentis Dei ueneratione.


T quoniam mandatorum omnium diuinæ legis illud primum, & maximum est, ut Deum ex toto corde, & ex tota anima nostra colamus, & veneremur: Iccirco omnes summopere tám Clericos, quàm Laicos obnixe monemus, & hortamur, omnipótentem Deum ex toto corde, & ex tota anima amare, & summa semper religione, & deuotione venerari, & quotidie eum laudare, magnificare, & de beneficiis perceptis ei gratias asiduè agere, & habere.

Fidei professio facienda à personis ecclesiasticis, & secularibus.

Cum autem in primis nos deceat circa ea, quæ ad fidem catholicam spectant, versari; prout in prima nostra Synodo Diœcesana post publicationem sacri Concilii Tridentini egimus in reformatione harum nostrarum constitutionum, à professione fidei catholicæ inchoando, sacrosancti Concilii Tridentini cõstitutionibus inhærẽtes: statuimus, vt omnes prouisi de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus teneantur, à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus nostris, vel nobis impeditis, corã generali nostro Vicario orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac iurent iuxta formam traditam in Bulla Pii iiii. Prouisi autẽ de dignitatibus, & canonicatibus in Ecclesia nostra Cathedrali, non solum coram nobis, seu Vicario nostro, sed etiam in Capitulo idem facere teneátur: sub pœna contenta in dicto sacro Concilio Tridentino. Nec non ad dictam fidei professionem faciendã teneantur omnes, qui in posterum, ad quoscũquè doctorales, vel magistrales gradus, promouebuntur. Nec nõ omnes, & quicunque, qui publicè vel priuatim in domibus suis vel alienis, quascunque artes litterarias, vel aliàs liberales, etiam si ipsa prima grammaticæ rudimenta, legendo, inter-

Ex Cõcil. Trident. Ses. 24. c. cum dignitates. §. prouisi.

pretando, vel repetendo, vel aliàs quauis ratione docendo, sub pęnis contentis in dicta Bulla Pii Quarti. Data Romæ Anno Domini. M D L X I I I I. Idibus Decembris.

Ex Bulla Pii 4.

Syndici Cõmunitatum nostræ Diæcesis non admittant quempiam ad docendum litteras grãmaticales uel quasuis alias scientias liberales, nisi prius coram nobis professionem fidei egerint.

Omnibus, & singulis Syndicis, & Procuratoribus nostræ Ciuitatis Sarsinæ castrorum, & aliorum locorum quoruncunque nostræ Diœcesis præcipimus, iubemus, & expressê mandamus, sub pęna arbitrii nostri non audeant, nec præsumãt quempiam ad legendum, & docendum publicè, vel priuatim etiã domi suæ, vel alienæ pueros, aut adolescẽtes quoscunque prima grammaticæ rudimenta, aliasquè quascunque artes litterarias, vel liberales, etiam si gratis doceant, deputare; aut ad mittere, antequam professionem fidei catholicæ coram nobis fecerint iuxta formam, & tenorem constitutionis Pii quarti de professione fidei facienda.

Parochi puniantur non denunciantes quoscunq; docentes grammaticam vel alias scientias, qui fidei professionem non fecerint.

Parochi omnes nobis, & successoribus nostris denuncient si qui tàm Clerici, quàm seculares in eorum Parochiis cõmorentur, qui ea ratione quòd adepti fuerint aliquam dignitatẽ, Canonicatum, seu beneficium ecclesiasticum, vel aliquem gradum, etiam doctoratus cuiuscunque scientiæ siuè artis, seu doceant litteras quaruncunque facultatum, seu artium liberaliũ; etiam rudimenta grammaticæ pueros quoscunque, aliàs publicé, vel priuatim domi suæ, vel alienæ, qui non fecerint professionem catholicæ fidei coram nobis vel Vicario nostro generali, ut prædicti omnes & singuli supradicti à nobis compellantur

tur huiusmodi professionem facere, seruata in omnibus forma sacri Concilii Tridentini, & dictæ Bullæ Pii quarti: si qui autem parochi contrafecerint, puniantur.

De vita, & honestate Clericorum.

Cum nihil sit, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultũ instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se diuino, ministerio dedicauerunt: itaque Clericos, fratres carissimi, oportet irreprehensibiles esse, sobrios, prudentes, ornatos, pudicos, hospitales, doctores, præsertim qui curam habent animarum, non vinolentos, non percussores, non litigiosos, non cupidos, non superbos, non bilingues, non turpe lucrum, & auaritiam omnium malorum radicem sectantes: in ecclesia Dei cũ fide sincera, & pura conscientia conuersantes, cordis munditiam, humilitatem, & patientiam amplectentes: à secularibus negociis, & mulierum conuersatione se abstinentes. Eos etiam summopere decet, diuina officia dignè persoluere, & quæ IESV Christi sunt, præ cæteris cum omni charitate, perquirere, & vitam honestam in habitu, & tonsura clericali, non minus ducere, quám verbis, opere, & exemplo in sanctitate lucescere, & bonis moribus & virtute pollere, & curam animarum sibi commissarum cum omni diligentia, vigilantia, & charitate habere: in infirmitatibus eorum compatiendo: & vitia omnia à se remouere: Habitus enim, et tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum, et integra mortificatio passionum verum faciunt Clericum. Et si omnes etiam Christifideles misericordes esse debeant, tum maximè Clerici, qui præcipuè curam pauperum, et miserabilium habere debent, et viduis, orphanis, et pupillis auxilium, et consilium, cum omni sinceritate, et dilectione impendere. Quàm etiam eos pacificos esse deceat satis perspicuum est, dicente Saluatore nostro discipulis suis: pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, & alibi: quoniam pacifici filii dei vocabuntur. Quapropter, & vos omnes pacificos esse, et pacem amare, & pacem sectari, & serere, et charitatem sinceram erga Deum et proximum,

præ

præ omnibus habere, et hortamur, et monemus. Præterea monemus omnes Clericos nostræ Diœcesis, et eò magis curã animarum habentes, vt conuersatione, sermone, et scientia, commisso sibi Dei populo præeant, memores ejus, quod scriptum est, Sancti estote quia et ego sanctus sum, et iuxta Apostoli vocem, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium vestrum, sed in omnibus vos exhibeatis sicut ministros Dei, ne illud prophetæ dictum impleatur in vobis, Sacerdotes Dei contaminant sancta, et reprobant legem. Quæ omnia si peregeritis, quemadmodum maximè, et cupimus, et volumus, proculdubio huiusmodi virtutum semitas amplectendo æternam, et immarcessibilem gloriam vobis comparabitis: auxiliante Christo IESV duce nostro, qui viuit per infinita sæcula.

Ex Conc. Tri. Seß. 14. c. cũ propria.

De Tonsura, & habitu Clericali.

Clericos omnes oportet vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.

Statuimus, & ordinamus, quòd omnes Clerici Ciuitatis, et Dioecesis Sarsinæ, in minoribus cõstituti, tonsuram, et coronam competentem deferant: vestes quoqué decentes, nec nimis longas, vel breues, sed tales habeant, ut omnino â laicis dignoscantur, et à uiride, roseo, et aliis illicitis coloribus, et sericis vestibus se abstineant: quôd si contrafecerint, puniantur pęna arbitrii nostri. Rectores verò Ecclesiarum, et cæteri omnes in Sacerdotio cõstituti, tonsuram decentem deferant, ita quòd extremitas inferior aurium appareat discooperta cum corona desuper rasa, et competenti. Suttanas admodum longas deferant pro dignitate personarum, et qualitate locorum; vt ad minus genua tegãt. Vestes quoque desuper honestas vsque ad talos, vel paulominus longãs deferant, absque crispis impertinentibus circa collum, et spatulas. Caligas, et calceos, quos vulgariter scarpas vocant, et cætera vestimentorum genera absque bigaraturis, et incisuris ex coloribus supradictis minimê

nime prohibitis,et non sericis habeant. Palios vulgariter cappinos alla spagnola nuncupatos, nulla quauis occasione, etiam in itinere Clerici portare præsumant: sub pœna vnius aurei pro qualibet vice, et pro quolibet contrafaciente. Camisias quoque lineas circa collum, et manus absque rugis, siuè crispis simplices sine serico, vel candido filo ornatas, vel laboratas habeant; sub pœna x x solidorum bonenorũ pro quolibet, et qualibet vice contrafaciente. Suttanas quoque admodum clausas Clerici in sacris ordinibus constituti deferant, vt caligæ minime videri possint. Statuimus quoq; quòd nullus Clericus in sacris cõstitutus præsumat publicè ire indutus tantũmodo diploide, et caligis, vt vulgo dicitur in zuppone. Si quis autẽ in quolibet prædictorum contrafecerit, puniatur pro qualibet vice in pœnam quinque librarum. Pileum quoque siue capellum Clericos in locis publicis, præterquam occasione itineris, portare prohibemus; sed vtantur bireto honesto et condecenti; quando aliqualem mosam faciunt in plateis, aut aliis in quibusuis locis publicis. Contrafacientes pro qualibet vice, puniãtur in pœna vnius aurei, applicanda operibus piis ut infra.

De Clericis concubinariis vel aliàs inhonestè viuentibus.

Non tantùm decet Clericos habitu decenti ornatos esse, sed multò magis eos munditiam corporis, et castitatem custòdire, vt semper in conspectu Dei nitidi, et mundi appareant. Eapropter omnibus, et singulis, tàm ecclesiasticis, quàm secularibus personis, cuiuscunque gradus, conditionis, et dignitatis existant, præcipimus, & expresśe mandamus sub pœna excommunicationis, & scutorum viginti, concubinas penes se in domibus vel extra nõ habeant nec retineãt, præter alias pęnas à iure, & Cõcilio Trid. inflictas: quòd si quis semel conuictus, iterum contrafecerit pœna duplicetur. Si tertiò, sit ipso facto priuatus omnibus officiis, & beneficiis ecclesiasticis. Concubinis autem præter dictas pœnas, à iure & sacro Concilio Tridentino statutas, pro qualitate criminis, & personarum, arbitriò

Ex Côcil. Trident. Ses. 24. c. graue pec catum.

trio nostro puniendas decernimus. Pueros quoque suspectos, & infames domi suæ nullus Clericus teneat: sub pœna nostri arbitrii. Clericos quoque fornicari prohibemus: sub pœna decẽ librarum pro qualibet vice. Adulterium autem committentes pro qualibet vice in pęna ducatorum quindecim auri mulctari decernimus. Incestum si quis cõmiserit vsque in quartum gradum, puniatur in pœnam ducatorum viginti auri, & cogatur per tres annos pęnitentiam in carcere agere. Stuprum virgini bonæ famæ, vitæ, & conditionis violenter inferens, priuetur bẽneficiis omnibus, eamque dotare cogatur. Si beneficium nõ habuerit, vltra dotem, puniatur in pœnam triginta ducatorum auri. Si autem absque ui virginem huiusmodi stuprauerit, mitius puniatur ad arbitrium nostrum, & nihilominus eam dotare cogatur. Rem verò carnalem cum filia spirituali habens, puniatur vt supra in pœnam committentis adulterium, & vltra ad arbitrium nostrum. Si verò cum matre, sorore, vel moniali aliquę rem habuisse constiterit, sit ipso facto officiis, & beneficiis omnibus priuatus, & perpetuò in carcere pęnitentiam agat. Si verò crimen illud pessimum Sodomorum quempiam perpetrasse constiterit, pari modo omnibus officiis, & beneficiis sit ipso facto priuatus, & pœnitentiam perpetuò agat in carcere.

Diffamatus quomodo puniatur nisi se legitimè expurgauerit

Si autem contigerit aliquem Clericum de supradictis aut alio quopiam vitio diffamari, dictum Clericum perinde ac si de crimine conuictus esset, puniri volumus, nisi se trium proborum testium iuramento purgauerit.

De Armis non portandis.

Arma offensibilia, & defensibilia per Ciuitates, castra, seu villas in quibus habitare contigeit, Clericus nullus portare præsumat, absque licentia nostra sub pœna vnius aurei, pro qualibet vice, præterquam occasione itineris.

De non

De non tripudiando.

Tripudiare, saltare, & alia similia Clericis minime cõuenientia publicè eos facere prohibemus, sub pœna quinque librarum pro qualibet vice.

De personatis.

Prohibemus etiam sub pęna octo librarum nullum Clericũ personatum incedere, nec tripudiare.

De non eundo ad Tabernas.

Tabernas, & Hospitia adire Clericos, præterquã in itinere prohibemus: sub pęna vnius aurei pro qualibet vice.

Comessationes Clericorum prohibentur.

Comessationes Clericorum prohibẽtur vt in Concilio Tridentino Sess. 22. cap. nihil est. §. cum igitur.

De verbis iniuriosis.

Clericos quoniam maximè humiles pacificos, & minimè se ditiosos esse decet: e contra: Si quis igitur verba iniuriosa aut scandalosa Clerico vel Laico dixerit, in pęnam solidorũ viginti incurrat ipso facto pro qualibet vice, & vltra secundum grauamen iniuriæ ad arbitrium nostrum.

De non percutiendo vel vulnerando aliquem.

Statuimus etiam quòd nullus Clericus aliquam personam percutiat, vel vulneret, sine, vel cũ sanguinis effusione: si quis contrafecerit; puniatur iuxta formam statutorum dominii temporalis episcopatus Sarsinæ quo ad pœnam pecuniariam.

De non Ludendo.

Ludos omnes vetitos tam cartarum, quàm taxillorum si quis Clericus exercuerit, vel luserit cum Clerico uel Laico, si publicè, in pęnam sex librarum: si in priuato loco, pœna librarum trium pro qualibet vice puniatur.

De Mercantiis non faciendis.

Mercãtias facere, & seculariũ negotiis se ĩplicare Clericos omnino prohibemus: sub pęna arbitrii nostri pro qualibet vice.

De grano non emendo.

Ad compescendam nonnullorum Clericorum auaritiam, beneficia obtinentium: statuimus ne quis præsumat granum aut alios fructus emere, vt postmodum aliis vendat, vel emi facere, vel procurare: sub pœna decē librarum pro qualibet vice

Tabellionatus officium Clerici non exerceant.

Omnibus, & singulis personis ecclesiasticis in sacris ordinibus constitutis, prohibemus, & interdicimus ne officium tabellionatus, seu notariatus exercere valeant: sub pęna suspensionis à diuinis, & quinque scutorum auri pro quolibet contra faciente, & qualibet vice, nisi in iis quæ pertinent ad iurisdictionem ecclesiasticam, & forum ecclesiasticum.

Venatio Clericis prohibetur.

A uenationibus illicitis, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusq; Clerici abstineant: omnibus Clericis itaq; cuiuscūq; status, ordinis, conditionis, aut dignitatis existant, venationes, & syluaticas fatigationes cū canibus exercere, vel canes, accipitres, aut falcones habere prohibemus si quis aūt ī quolibet prædictorū cōtrafecerit, in pęna libr. decē pro qualibet vice puniri volumus.

Imaginem I E S V Christi, Beatæ Mariæ, & aliorum sanctorum si quis percusserit.

Si quis imaginem I E S V Christi, aut gloriosæ Virginis Mariæ percusserit, præter quòd Inquisitionis reū, necnon de fide suspectū se reddit, & ab Inquisitore iudicādū etiā volumus si Clericus, sit ipso facto priuatus omnibus beneficiis, honoribus, & dignitatibus ecclesiasticis, & vltra puniatur arbitrio nostro: Si aliorum sanctorum imaginem percusserit: in pœnā vigintiquinque ducatorum auri mulctetur. Si Laicus I E S V Christi, beatæ Mariæ imaginē: percusserit, in pęnā vigintiquinque scutorū auri incurrat: si verò aliorū sanctorum vt supra in pęnam duodecim ducatorū auri puniatur.

De Blasphematoribus.

Si quis Clericus vel Laicus blasphemauerit, puniatur prout statutū

ſtatutum eſt in Bulla ſanctiſsimi D. noſtri Pii quinti ſub datũ Romæ ſexto Calen. Aprilis anno Domini 1566. cuius tenor talis eſt videlicet: Decernimus vt quicunque Laicus Deum, & Dominum noſtrum I E S V M Chriſtum, vel glorioſam virginem Mariam eius genitricem expreſsè blaſphemauerit: pro prima vice pęnam viginti quinque ducatorum incurrat, pro ſecunda, pęna dupplicabitur: pro tertia verò centũ ducatos ſoluet, & ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui verò plebeius fuerit, nec erit ſoluęndo, pro prima vice manibus poſt tergum ligatis ante fores eccleſiæ conſtituetur per diem integrum: pro ſecunda fuſtigabitur per vrbem; tertiò lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicunque Clericus in hoc blaſphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus vnius anni omnium, & quoruncunque beneficiorum ſuorũ: pro ſecunda beneficiis ipſis priuetur: pro tertia omnibus etiã dignitatibus exutus deponatur, & in exiliũ mittatur. Quòd ſi Clericus nullum obtinuerit beneficium, pęna pecuniaria vel corporali, pro prima vice puniatur: pro ſecunda carceribus mancipetur: pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos ſanctos blaſphemauerit, pro qualitate blaſphemiæ, atque perſonæ arbitrio Iudicis puniatur.

De publicis blaſphematoribus.

Publicorum blaſphematorum abſolutio reſeruatur Epiſcopo, vel etiam Inquiſitori.

De Incantatoribus, maleficis, & ſimilibus.

Ad extirpandam & penitus euellendam ſacrilegam, & impiam ſortilegorum, incantatorum, maleficorum, & ſimilium artem, quæ admodum inualuit, vt iam fidem chriſtianam apud multos ſore extinctam dignoſcamus: ſi quis vtriuſque ſexus poſt menſem à die publicationis præſentium, in noſtra Diœce ſi ſortilegus, incantator, magus, maleficus, augur, Ariolus, quodcunque illicitum, & prohibitum diuinãdi genus exercuerit, aut ſtellarum, & elementorum adorator fuerit, aut aliquod medicamentum incantando, & verbis ſuperſtitioſis fece-

rit vel exercuerit,pro reperiendis furtis, aut ablatis, siue pro recuperanda sanitate hominum, vel animaliũ, vel huiusmodi similia egerit, vel maleficia,malias,facturas,vt vulgo dicitur, fecisse constiterit, aut dęmones,aut aliam creaturam adorauerit vel inuocauerit:cum ipso iure ad sacrum officium Inquisitionis contra hereticos, & apostatas pertineat, secundum canonicas leges omni semota exceptione iudicari volumus. Si verò talia sint,quæ non ab Inquisitore; sed tantum ab Episcopo punienda fuerint; Si Clericus est, in pęnam decem ducatorum auri mulctetur, & per annum pęnitentiam in carcere agat: Si Laicus fuerit,in pęnam quinque ducatorum auri puniatur. Si quis autem Laicus semel conuictus, iterum relabi contigerit, eum curiæ seculari tradẽdum statuimus, vt debitis suppliciis puniatur. Si quis autem ab huiusmodi sortilegis, incantatoribus magis, maleficis, ariolis,aut à quopiam illorũ pro reperiendis,seu inueniendis furtis,aut pro reparatione sanitatis tàm hominum,quàm animalium, vel pro quouis alio medicamine: Pro diuinatione,aut alia quacunque re superstitiosa, auxilium consilium,fauorem,aut aliquod eorum opus, requisiuerit,vel implorauerit: pro qualibet vice in pęnam sex librarum puniatur: si fuerit Laicus: si verò Clericus, pœna duplicetur.

Sacramenta maleficis si quis dederit.

Statuimus insuper, quòd si quis admodum sceleratus, & impius Clericus repertus fuerit, qui Eucharistiam, aut quodpiã aliud sacramẽtum huiusmodi maleficis,seu quibusuis aliis personis animo deprauato dederit,vel eorum imagines,aut scripta, vel quodpiam aliud benedixerit, aut super ea missam, aut orationes dixerit, aut baptizauerit, ipso facto sit omnibus beneficiis, & officiis priuatus: & si beneficia non habuerit,puniatur in pęna vigintiquinque ducatorum auri, & vltra dictam pęnam, tàm beneficia obtinentes, quàm non,pęnitentiam per annum in carcere agant, & si Sacerdos fuerit: dum vixerit, amplius non celebret.

Excom-

Excommunicationem sustinentes per annum.

Et quoniam hereticam prauitatem sapere videntur, qui diù indurato animo excommunicationem sustinuerint auctoritatem ecclesiæ contemnẽdo: Eapropter vt homines formidine pęnæ, ab hac rebellione repellantur: statuimus, quòd si quis Clericus excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam per annum sustinuerit animo indurato; post huiusmodi sententiam publicatam, ac sibi legitime intimatã, omnibus officiis, & beneficiis ecclesiasticis sit priuatus; ita vt aliis poss sint licitè conferri: Si autem beneficia non habuerit, puniatur in pęna xxv. ducatorum auri: Si post annum monitus per aliũ annum excommunicationem pertinaci animo sustinuerit, volumus contra talem tanquam suspectum de heresi procedi posit. Si verò Laicus excommunicationem per annum, vt supra dictum est, sustinuerit, ad omnia officia, & beneficia ecclesiastica obtinenda sit perpetuò inhabilis, & pœnam xv. ducatorum auri incurrat ipso facto: Si post dictum annum monitus per alium annum in dicta excommunicatione perseuerauerit, contra talem tanquam suspectum de heresi statuimus procedi posit.

DE BAPTISMO.

POstquam hactenus de vita, & honestate Clericorum diximus, & de his, quæ directè contra Deũ, & eius sanctã Ecclesiam fiunt, locuti sumus: modò de sacramentis ecclesiæ, quæ ab ipso Deo & redẽptore nostro, atque ab eius ecclesia sancta instituta sunt, breuiter dicemus. Et quoniam sacramentorum omnium Baptismus primum est, & fundamentum aliorum sacramentorum, sine quo nullum aliud sacramentum proficit ad salutem Eapropter ab ipso incipiendo statuimus, & ordinamus, quòd fons baptismalis ex lapide viuo in quibuslibet baptismalibus ecclesiis habeatur in honesto, & decenti loco, & sit clausus claue, ita vt aqua nullatenus posit tangi, nec videri, nec asportari, sub pœna vnius aurei, pro quolibet, &

qualibet

qualiber vice contrafacienti, & clausura dicti fontis sit iuxta formam, siue similitudinem fontis baptismalis Sarsinæ, sub pœna arbitrii nostri.

De officio faciendo per Clericos in plebibus singulis nostræ Diœcesis.

Statuimus, & ordinamus, quòd oẽs Clerici Curati nostræ Diœcesis teneantur in die Sabbati sancti ire cum habitu sacerdotali cum superpelliceo ad plebem sui plebatus, & ibidem cũ Archipresbytero dictæ plebis siue Capellano, & aliis presbyteris celebrare solenne officium debitum ad fontem baptismatis iuxta ritum, & ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sub pœna quadraginta solidorum pro quolibet contrafaciente, nisi fuerit legitimé impeditus. Archipresbyterum verò quemlibet negligentem et contumacem, & dictum officium omittentem, ita vt nec per se, vel Capellanum, aut eius Vicariũ exequatur, in pœnam decem librarum puniri volumus.

In Baptismi administratione Sacerdos qualiter habere se debeat.

Sacerdos magnum baptismi sacramentum administraturus in primis aduertat quidnam facturus sit, & quàm pura, & sancta intentione id peragere debeat, & iuxta formã, & tenorem sacri Concilii Tridentini, non admittat nisi vnum tantum, seu vnam mulierem, vel ad summum vnum, & vnam, qui baptizatum de baptismo suscipiant: inter quos, ac baptizatum ipsum vel illius patrem, & matrem: necnon inter baptizantem, & baptizatum, & baptizati patrem, & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Et antequam Parochus ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab his, ad quos spectabit sciscitetur quem vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat. Habeatquè ipse Parochus librum, in quo diem, & annum, nomina, & cognomina leuantium, & leuati describat: Doceatquè eos quam cognationem contraxerint, vt supra

Ex Conc. Trid. Sess. 24. c. docet.

pra dictum est; ne ignorantia vlla excusari valeant. Et si alii vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Et si Parochi in quouis prædicto rum eorum culpa, vel negligentia contrafecerint, arbitrio nostro puniantur.

De monitione facta Compatribus, et Comatribus.

Itẽ statuimus, quòd Rectores, & Capellani huiusmodi ecclesiarum præcipiant dictis compatribus, & comatribus, ut patribus, & matribus filiorum spiritualium insinuent, ne eorum filios in lecto teneant: sub pœna excommunicationis, donec annum, & diem compleuerint. Item, quòd dictos eorum filios spirituales Symbolum, & orationem dominicam doceant, vel doceri faciant, et bonis moribus informent, ne ignorantiam prætendant.

De filiis non retinendis in lecto.

Pari modo statuimus, & ordinamus, quòd nullus pater nec mater, obstetrix, aut nutrix audeat, vel præsumat filios in lecto retinere, aut suos, aut cuiuspiam, donec annum, & diem compleuerint: sub pœna excommunicationis.

De sacramentis non accipiendis extra Diœcesim.

Statuimus etiam, & ordinamus, quòd nullus Clericus audeat, vel præsumat, sub pœna excommunicationis, & decem librarum accipere aliqua sacramenta necessaria ad conficiendam aquam baptismatis extra Diœcesim, vel à quopiam, quàm à deputatis in ecclesia nostra Cathedrali Sarsinæ.

Infantes non baptizẽtur extra Diœcesim.

Item statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona secularis, vel ecclesiastica nostræ Diœcesis præsumat sub pœna librarum quinque portare aliquem infantem, tàm masculum, quàm feminam ad baptizandum extra Diœcesim pro qualibet vice, nisi in casu vrgentis necessitatis.

De aqua baptiſmatis non danda cuipiam.

Item nullus Clericus præſumat, ſub pęna excommunicationis, ac decem ducatorũ auri quouis prætextu abſque noſtra vel Vicarii noſtri licentia aquam baptiſmatis cuipiam dare extra baptiſmum; ſed eandem debita veneratione cõſeruare.

Infantes non decedant abſq; baptiſmo.

Monemus etiam omnes Clericos habentes curam eccleſiarum habentium fontem baptiſmatis, ne ob eorum negligentiã quiſpiam infans decedat, abſque baptiſmo: ſub arbitrii noſtri pœna.

Vt baptizandis non gentilium, ſed ſanctorum nomina imponantur.

Omnibus Parochis, qui baptizandi munus exercent: præcipimus, vt baptizandorum patres commoneant, vt non gentilium, ſed ſanctorum nomina filiis imponantur; vt eorum virtutes, quorum nomina gerunt, imitentur, & ipſorum patrociniis iuuentur.

Olea ſancta extra Diœceſim non accipiat Sacerdos.

Plebani omnes, vel alii baptiſmales fontes habentes in noſtra Diœceſi per ſemetipſos, vel per Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, olea ſancta ab eccleſia noſtra Cathedrali eorum matrice recipiant, & eccleſiis ſibi cõmiſsis primo quoque tempore diſtribuant, & propter dicta omnia quicquam à miniſtris dictæ noſtræ eccleſiæ, vel à Plebanis, vel aliis quibuſcũq; diſtribuentibus non accipiatur, etiam à ſponte dantibus, vel exigatur: ſub pœna excommunicationis, & arbitrii noſtri per quoslibet contrafacientes in præmiſsis omnibus, & ſingulis.

DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio ſecundũ eſt ſacramẽtum, ab ipſo Saluatore noſtro inſtitutũ, in quo pariter cõpaternitas contrahitur pro ut ſupra dictum eſt in Baptiſmo, matrimonium dirimens

idcirco

idcirco animaduertendum est,ne plures vnum confirmandum, neue vnus plures quatuor confirmandos teneant. Nullus hoc sacramentum, nisi prius baptizatus fuerit, sumat. Nec quispiam non confirmatus audeat alium confirmandum, sub pœna excommunicationis, tenere.

Et vt hoc sanctum sacramentum iure, & sanctè ministretur, & á confirmandis legitime, & deuote recipiatur: Parochos omnes monemus, vt quotiescunque ad eorum aures peruenerit, nos sanctum confirmationis sacramentum administraturos fore in nostra Cathedrali ecclesia, vel in quibusuis aliis ecclesiis nostræ Diœcesi subiectis: omnibus suis parochianis id annuncient, & quòd infantes minores septénio nobis nó præsentent, vt confirmentur; sed iuxta doctrinam Catechismi editi sub Pio quinto præsentent, dictamquè doctrinam Parochi in suis Ecclesiis pro facultate sua, ipsis parochianis exponant, & declarent.

Confirmandi si sunt adulti prius sua peccata confiteri debeant. Nemo debet sine hoc sacramento suam vitam finire: Nullus proprium filium, aut filiam in confirmatione teneat, nec vir vxorem, nec è contra.

De Cognatione in confirmatione.

Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur confirmantem, & confirmatum, illiusquè patrem, & matrem ac tenenté non egrediatur: Iustitiæ publicæ honestatis impedimentũ, vbi sponsalia quacunq; ratione valida nó erunt, sublatũ est, vbi autem valida fuerint, primum gradum nó excedant. *Ex Conc. Trid. sess. 24. c. docet.*

DE POENITENTIA.

POenitentia tertium est sacramentum nouæ legis, quo bene dispositis semper peccata remittuntur.

Quod omnes confiteantur peccata sua.

Itaque præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis Christifidelibus vtriusque sexus nostræ Diœcesis, ut saltem semel in anno omnia peccata sua proprio Sacerdoti fideliter con

c. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.

fiteantur,& iniunctam sibi penitentiam studeant adimplere,& ad minus reuerenter in paschate, Eucharistiæ sacramentum suscipiant: si quis autem contrafecerit, absque consilio proprii Sacerdotis, viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens ecclesiastica careat sepultura. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata; licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote; quod si neglexerit, penitens puniatur:sed grauiùs Sacerdos puniatur, qui alienum parochianum audire, & absoluere præsumpserit, cum talis absolutio sit penitus nulla ob defectum iurisditionis.

Ex Conc. Tri. sess. 24. c. ex institutione.

Sacerdos quilibet quomodo sibi confessorem eligere possit.

Et quoniam omnium personarum ecclesiasticarum sæcularium cuiuscunquè gradus existant quaruncunque Diœcesum proprium eorum Sacerdotem Episcopum esse constat: & quia in nostra Diœcesi difficile foret, vt vnusquisquè Clericus ad nos veniret,vt sua peccata confiteretur,absolutioquè corundē à nobis impartiretur: Propterea omnibus supradictis concedimus, & indulgemus vt vnusquisquê sibi confessorem probatæ vitæ & magis idoneum in nostra Diœcesi à nobis approbatum,quantum fieri poterit,eligere possit, qui eum in foro pœnitentiali audire, & absoluere possit: non tamen á casibus nobis reseruatis. Nolumus autem, quòd si quis aliquod peccatum turpe, & enorme cōmiserit, absolutusqué fuerit, possit confessorem suum in simili peccato detentum audire, & absoluere,ob irreuerentiam sacramenti, & peccati inerubescentiā, & absque timore, & verecundia: si quis autem in quopiam præmissorum contrafecerit,non euadet vltionem diuinam,& arbitrio nostro punietur.

Sacerdos quilibet habet facultatem absoluendi quemlibet in articulo mortis.

Sciat tamen quilibet Sacerdos, quòd in articulo mortis potestatem habet quemlibet christianum ab omnibus censuris,& peccatis absoluere:si autem superuixerit,debet eum remitte-

re

re ad ſuum ſuperiorem qui illum abſoluat.

Pœnitentibus quales ſatisfactiones iniungi debeant.

Sacerdotes debent quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere.

Confeſſores obſcœna in confeſſionibus audiendis non committant.

Si quis ſacerdos mulierem quampiam in foro pœnitentiali peccata ſua ſibi confitentem, quicquam ad inhoneſta, ſecum vel cum quopiam aliquo, perpetranda induxerit, & ei ſuaſerit, aut verbis uel tactu inhoneſtè perpetrauerit, officiis, & beneficiis omnibus priuetur, & exilio vel carcere perpetuo puniatur.

Parochi ægrotantes viſitent.

Parochi ægrotantes in ſua Parochia etiam non vocati viſitent, vt ipſos inducant ad ſuſcipiendum ſacramenta eccleſiæ, & hoc ita acurate peragant, vt nemini aliquam perturbationem, ſeu ſuſpitionem quancunque inducant.

Confeſſiones reuelantes puniantur.

Cauete etiam, atque etiam, ne quis veſtrum peccatum in pęnitentiali foro, ſeu confeſſione detectum reuelet: quòd ſi quiſpiam Sacerdos cuiuſcunque conditionis, & gradus exiſtat confeſſionem alicuius viri, vel mulieris corã eo factam in totũ vel in parte reuelauerit, ſit ipſo facto priuatus omnibus officiis, & beneficiis ſuis, & perpetuò pęnitentiã in carcere agat.

Non detur licentia confitendi extra Diœceſim.

Nullus etiam Sacerdos licentiam det ſuis Parochianis confitẽdi peccata ſua extra Diœceſim non petita à nobis vel Vicario noſtro licentia, ſub pęna quinque librarum. Et ſi à nobis vel Vicario noſtro licentiam habuerint, & extra Diœceſim confeſſi fuerint, non admittantur ad Euchariſtiæ ſacramentũ niſi prius oſtendant fidem probi confeſſoris.

Cōfeſsiones mulierū fiant in locis minimè occultis.

Confeſsiones autem mulierum decernimus publicè in ecclefiis fieri, & in locis minime occultis: ſub pœna noſtri arbitrii.

Sacerdos quilibet habeat confeſsionalia approbata, aut aliquam ſummam vtilem.

Vt Sacerdotes aliquo modo ſuæ ignorantiæ ſuccurrere poſ ſint: præſenti conſtitutione decernimus, vt vnus quiſque habeat penes ſe aliquam ſummam latinam, vel vulgarem, vel aliqua confeſsionalia approbata: vt valeant ſapienter diſcernere, & moderari circunſtantias peccatorum: ſub pœna quinquaginta ſolidorum pro quolibet contrafaciente.

Curati omnes, et omnes ſacerdotes tā ſeculares, quā regulares ad audiendas confeſsiones deputati, habeant penes ſe tranſumptū Bullæ in die cœnæ Domini.

Præcipimus omnibus, & ſingulis animarum curam habentibus, & aliis quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis tàm ſecularibus, quàm regularibus ad audiendas confeſsiones deputatis, vt penes ſe habeant tranſumptum Bullæ in die cęnæ Domini, ſub pęna arbitrii noſtri, vltra alias pęnas in dicta Bulla cōtētas.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

EVchariſtia quartum eſt ſacramentum, & maximum à IESV Chriſto inſtitutū: idcirco fratres dilectiſsimi cum ad huiuſmodi ſacramentū acceditis, primò præmiſſa diligenti peccatorum confeſsione, miſſam exactè, & diligenter percurrite, lectiones, & Euangelia, & ſpecialiter ſecreta, & conſecrationis verba integrè, & diſtinctè dicite, & corpus, & ſanguinem Domini noſtri IESV Chriſti cum ſumma reuerentia, & timore ſumite.

De monitionibus faciendis tēpore Quadrageſimali.

Et quoniam ex noſtro paſtorali officio nobis maximè incumbit; vt fideles omnes in noſtra Dięceſi commorantes diligenter

genter confiteantur peccata ſua, ſaltem ſemel in anno, vt ſupra diximus: et ſummo timore, & reuerentia, poſtquam peruenerint ad adultam diſcretionis ætatem, ſacramentum Eucharistiæ ſuſcipiant: Eapropter Rectoribus omnibus eccleſiarũ in noſtra Dioeceſi curam habentibus animarum, et eorum Vicariis, & Capellanis diſtrictè præcipimus, & expreſſe mandamus, quatenus ſub poena decẽ librarũ, omnibus diebus Dominicis per totã Quadrageſimam populum ſuum, ſeu parochianos ſuos, primò, ſecundò, & tertiò peremptoriè, & canonica monitione admoneant; vt per totum tempus quadrageſimale, confiteantur peccata ſua, & deuote ſacramentũ Euchariſtiæ ſumant per totam octauam Paſchatis reſurrectionis: omnibus inſinuando, quòd elapſo dicto tempore, & termino omnes contrafacientes, & rebelles, præter alias poenas á iure ſtatutas, publicè, & nominatim excommunicabuntur in forma Eccleſiæ cum ſono campanæ, & extinctione candelæ.

Sacramentum Euchariſtiæ vnuſquiſque ſumat ſaltem ſemel in anno.

Statuimus etiam, & expreſſe mandamus, quatenus quælibet perſona vtriuſque ſexus, quæ ad adultam diſcretionis ætatem peruenerit, facta prius decenti confeſsione de peccatis ſuis ſub excõmunicationis poena, & quinq; librarũ, vltra alias pęnas à iure ſtatutas, debeat huiuſmodi ſacramentum Euchariſtiæ ſaltem ſemel in anno in die paſchatis reſurrectionis Domini noſtri IESV Chriſti, vel per totam octauam dicti paſchatis, ſumere à proprio Sacerdote Parochiali: niſi aliter à nobis, vel eius proprio ſacerdote, prohibitum, vel conceſſum fuerit, vt ex conuenienti cauſa ab huiuſmodi ſacramenti ſumptione abſtineãt, aliàs præter dictas poenas, nominatim excõmunicabũtur.

Parochus qualiter moneat pœnitentes priuſquam eis ſacramentum Euchariſtiæ miniſtret.

Parochus ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum poenitentibus, & confeſsis priuſquam miniſtret; diligenter, & efficaciter

caciter moneat quanta reuerentia, & humilitate, & deuotione ad illud amplissimum, & tremendum Sacramentum accedere debeat, quantaquè, & horrenda supplicia illis, qui indignè sumpserint, parata sint. His verò vtriusquè sexus, qui pro prima vice huiusmodi Sacramentum sumpturi sint, non prius præbeat, quàm eos diligenter examinauerit, ac de virtute, & ratione dicti Sacramenti docuerit, iuxta sanam doctrinam Catechismi ad Parochos Pii V. Pont. max. iussu editi.

Quòd Parochi vel alij curam exercentes animarum personaliter coram nobis quolibet anno reddat rationem animarum suæ Parochiæ.

Et, vt bonum decet pastorem, cognoscere possimus bonas, & malas oues, & abscindere valeamus iuxta illud Euangelicum membra putrida, in nostra Diœcesi, præcipimus, & mãdamus omnibus Parochis, & aliis curam animarum exercentibus, quatenus sub pœna vnius aurei, infra terminum octo dierum immediate sequentiũ post octauam paschatis resurrectionis debeatis coram nobis vel Vicario nostro in absentia nostra vos & quélibet vestrum quolibet anno personaliter præsentasse, vel si propter aliqua iusta impedimenta, minimè poteritis venire, certum nuntium misisse ad reddẽdum rationem villicationis animarum, sub regimine, & cura vestra existentium, & maximè nominatim de his omnibus, qui nõ fuerint confessi, & sacramentum Eucharistiæ sumere noluerint, præceptis sanctæ matris Ecclesiæ, & monitionibus nostris minimè parendo, & de his, qui publicis, & enormibus peccatis fuerint illaqueati.

Parochiani non decedant negligentia Sacerdotis absq; sacramentis Ecclesiæ.

Animaduertat etiam quilibet Sacerdos curam animarum gerens, sub arbitrii nostri pœna, ne ob eius negligentiam, quispiam ex Parochianis suis ægrotans peruentus ad adultam ætatem absque sacramento Eucharistiæ, & aliis Sacramentis Ecclesiæ decedat.

Euchari-

Eucharistiæ sacramentum seruetur, vbi consuetudo.

Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in omnibus Ecclesiis, in quibus de consuetudine, seu de mandato nostro serua ri statutum est, & præsertim in his in quibus confraternitates, sub nomine sacratissimi corporis I E S V Christi institutæ sūt, super altare maiori in tabernaculo ligneo, seu lapideo decenti sub claue, vt conuenit, & intus serico ornato, & ibi in vasculo argenteo, vt dictum est, honorificè seruetur: quod saltem semel in hebdomada renouari præcipimus, & lāpades ad minus vna, assiduè die noctuque ante dictum sacramentum ardeant. Si quis autem in quolibet præmissorum contrafecerit, grauiter punietur.

In cæteris verò mandamus obseruari ordinationes super gubernatione corporis sanctissimi Domini I E S V Christi per nos editas, & publicatas, & impressioni datas de anno 1572.

De celebratione festi Sanctissimi Corporis D. nostri I E S V Christi.

E t vt huiusmodi festum sanctissimi corporis I E S V Christi dignè, & deuotè celebretur, præcipimus, & mandamus omnibus personis ecclesiasticis tàm secularibus, quàm regularibus cuiuscúq; gradus, & conditionis existant, cuiusuis plebatus tàm nostræ Cathedralis Ecclesiæ, quàm aliarum plebiū seu ecclesiarum quaruncunque nostræ Diœcesis, in quibus festum sanctissimi corporis Christi solēniter, etiam cum processione celebrabitur, eadem die summo mane debeant, legitimo cessante impedimento, quilibet eorum ad dictam nostram Cathedralē, & plebes, seu alias ecclesias prædictas se conferre sub pœna vnius aurei in habitu decenti cum superpelliceo, & interesse missæ, & processioni cum summa reuerentia, honore, & deuotione, & explere suum officium, digné, & laudabiliter

biliter ad honorem, & gloriam tâm ſanctiſsimi, & ſupremi ſacramenti: non obſtantibus quo ad contenta in hoc capitulo, quibuſcunque contrariis, quæ in noſtris conſtitutionibus aliàs promulgatis continentur.

De eodem feſto.

Inſuper præcipimus, & expreſſe mandamus omnibus & ſingulis perſonis eccleſiaſticis ſupradictis, quòd non audeant, nec præſumât, ſub pœnis ſupradictis extra Diœceſim ad alias quaſlibet eccleſias ſe conferre, vt celebrationi ſupradicti ſanctiſsimi feſti interſint. Vt autem huiuſmodi ſanctiſsimũ ſacramentum decentiùs honoretur, & deuotio augeatur: concedimus, & licentiam impartimur omnibus parochianis, & populis noſtræ Diœceſis, vt poſsint, & valeant in die octauo, vel alio die, quo maluerint intra dictam octauam, feſtum huiuſmodi ſanctiſsimi Sacramenti cum proceſsione laudabiliter, & deuote celebrare, conuocatis quibuslibet perſonis eccleſiaſticis noſtræ Diœceſis, vel aliis de admiſsis tantum à nobis ad celebrandum in noſtra Diœceſi: dummodo habeant omnia ad feſtum huiuſmodi celebrandum neceſſaria; ut in conſtitutionibus noſtris plenius continetur: & dictum feſtum, & proceſsio bis in anno in eadem Parochia nõ celebretur, quod omnino prohibemus, vt in ſupradictis conſtitutionibus prohibitum eſt.

De feſtorum celebratione, et reliquiarũ veneratione, necnon de imaginibus inſolitis non ponendis, & nouis miraculis non admittendis abſq; noſtra licentia.

Et vt huiuſmodi ſanctiſsimi corporis I E S V Chriſti feſto, ac ſanctorũ celebratione, & reliquiarũ veneratione homines ad comeſſationes, atque ebrietates nõ abutantur, quaſi feſti dies in honorẽ ſanctorũ per luxum, & laſciuiã agantur. Poſtremo tanta circa hæc diligentia, & cura adhibeatur, vt nihil inordinatum, ac præpoſterè, ac tumultuarie accõmodatum nihil profanum, nihilqué inhoneſtũ appareat, cum domũ Dei deceat ſanctitudo. Hæc vt fidelius obſeruentur, ſtatuimus ne

mini

mini licere vllo in loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet exẽpta, vllam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi à nobis approbata fuerit. Nulla etiam esse admittenda noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas absque nostra licentia.

De celebratione matutinalis officii, & horarum per totam octauam festi sanctissimi corporis IESV *Christi.*

Monemus insuper, & hortamur omnes Ecclesiarum Rectores, & præsertim Parochialium: vt sicut in Ecclesia nostra Cathedrali Sarsinæ à primis vesperis ipsius sanctissimi festi incipiendo, vsque ad vesperas inclusiuè ipsius octauæ celebratur officium matutinale, vespertinum, & horarum: primæ, tertiæ, sextæ, & nonæ, & completorii, vt omnes Christifideles verè pœnitentes, & confessi; qui matutinali officio festi eiusdem interfuerint, centum dies de iniunctis pœnitentiis: Qui verò, missæ totidem: Qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint, similiter centũ: Qui verò in secundis, totidem: Illis verò, qui primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, & completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum, quadraginta, Illis verò, qui per octauã illius festi matutinalibus, vesperis, missæ, & prædictarum horarum officiis interfuerint, centum dies singulis octauarum ipsarum diebus de iniunctis sibi pœnitẽtiis cõsequantur. Ita prædicti Ecclesiarum Rectores præsertim Parochialium, in primis suos Parochianos salutaribus monitis admonentes, vt interesse satagant supradictis singulis horis, quo possint adipisci supradictas indulgentias, celebrent per totam octauam: incipiendo in primis vesperis in suis Ecclesiis matutinale officium, verspertinum, & horarum, vt supra; iuxta constitutionem Vrbani quarti.

Infirmis qualiter sacramentum deferatur.

Parochis item omnibus sanctum Eucharistiæ sacramentum ad infirmos delaturis præcipimus, & mandamus; vt Parochia-

nos suos bis, vel ter ad minus interpolatis vicibus signo campanæ ad Ecclesiam auocent, vt omni reuerentia, & deuotione præsto sint ad comitandum huiusmodi sacramentum sanctissimum, eundo ad infirmos, & redeundo ad Ecclesiam; quod minimè fieri præcipimus sine vmbella, maximè in ciuitate, & oppidis nostræ Diœcesis, & ornatu honesto, & decenti, ac luminibus, vt par est, pro reuerentia, & honore, tam supremi sacramenti. Et vt prædicta ab omnibus maiori charitate, deuotione, & cultu peragantur, & societas sanctissimi corporis Domini nostri I E S V Christi non tantum in nostra Cathedrali Ecclesia, plebibus, & aliis Ecclesiis nostræ Diœcesis augeatur: Sed etiam in omnibus aliis Ecclesiis parochialibus dictæ nostræ Diœcesis, quoad fieri poterit, instituatur; mandamus omnibus Parochis, ut in suis Ecclesiis inter missarum solénia, suis populis annuncient indulgentias à Paulo iii. confratribus societatis sanctissimi corporis Domini N. I E S V Christi concessas, prout latius in nostris constitutionibus super his emanatis, & publicatis continetur. Præcipitur, & omnibus Curatis vt infra spatium duorũ mensium, sub pena vnius aurei habeant vmbellam, sub qua deferant corpus Christi.

Ne pueri ad huiusmodi sacramẽti vsũ admittãtur.

Omnibus Parochis præcipimus, & mandamus pueros admittant ad perceptionem tàm sanctissimi, & maximi sacramenti, non admittant, nisi prius eis monitis, & diligenter instructis de omnibus ad prædictam perceptionẽ necessariis: & nisi dictos pueros prius ad dictam perceptionem, & vsum repererint idoneos, & capaces.

De ordinibus societatis sanctiss. corporis Christi.

Ordinationes verò societatis sanctissimi corporis I E S V Christi saltẽ ter in anno quilibet Parochus inter missarũ soléṇia ĩ sua Ecclesia parochiali nostræ Diœcesis publicet, videlicet in uno triũ dierũ festiuo ũ natiuitatis D. N. I E S V Christi, Paschatis resurrectionis, & Pẽtecostes, sub pena triginta solidorum

dorum bononenorum pro qualibet vice, & quolibet contrafaciente; vt quilibet vtriusque sexus possint intelligere, & scire, quot, & quàm amplissimas indulgentias, & remissiones omnium peccatorum consequantur omnes confratres dictæ confraternitatis huiusmodi sanctissimi corporis Christi I E S V: vt in dies magis, & magis vnusquisque alliceatur, & adducatur in numero confratrum dictæ societatis.

Sacramento Eucharistiæ qualis reuerentia exhibenda sit à personis ecclesiasticis intrantibus chorum, seu altare.

Ex Conc. Trid. Sess. 14.c.13 Statuit S.

Omnes, & quascunque personas Ecclesiasticas cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis existant, hortamur in Domino & expressè mandamus: vt quotiescunque accessuri fuerint ad altare, super quo sanctum Eucharistiæ sacramentum serua tur, missam celebraturi, vel ad chorũ, vt horas canonicas deuotè persoluant, detectò capite, ad terram genuflexi reuerentiã humiliter, & deuote sanctissimo sacramento exhibeant: si autem sacramentum non aderit, profundè inclinato capite cruci reuerentiam exhibeant: & hoc idem faciant recedendo ab altare, & à choro: & ita hoc accurate, & cum humilitate peragant, ut omnes circunstantes ad similia peragenda incitent, & inducant.

De administratione sacramentorum.

Vt fidelis populus ad suscipienda sacramenta maiori cum reuerentia, atque animi deuotione accedat: præcipimus, & mandamus omnibus Parochis, & aliis quibuscunque curam animarum exercentibus: vt cum hæc populo erunt administranda, prius illorum vim & vsum pro suscipientium captu, piè, prudenterque, etiam lingua vernacula explicent, iuxta formã in dicto Catechismo singulis sacramentis traditam. Tx Conc. Erid. Sess. 24. c. ut fidelis.

DE EXTREMA VNCTIONE *infirmorum.*

VNctio sacra instituta est infirmorum tanquàm verè, & propriè sacramentum noui testamenti à Christo Domino nostro apud S. Marcum quidem insinuatū, per Iacobum autem apostolum, & fratrem Domini fidelibus cōmendatum, ac promulgatum: Infirmatur (inquit) quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo sancto: Ideo vos admonemus misericordes esse, infirmosquè sedulò visitare, & consolari, & cum opus erit, eos oleo sancto inungere, prout ab Ecclesia ordinatum est, oculos scilicet, aures, & manus, pedes, & lumbos saltem in masculis: Sacerdotis autem manus exterius vngite: ægroto inuncto conualescente, loca inuncta lauentur, & aqua vnctionis in ignē mittatur.

Ex Conc. Trid Seß. 14. c. in- stituta e.

Oleum sanctum renouetur singulis annis.

Iubemus autem, ut oleum sanctum huiusmodi in vase decenti in loco honesto, & competenti, sub claue clausum custodiatur, & singulis annis à quolibet Sacerdote, curam animarū habentē renouetur: sub pœna quinque librarum pro quolibet contra faciente.

Oleum sanctum quomodo seruetur.

Vnctionem extremam ab omnibus Parochis cōseruari præcipimus in vase argenteo, vel stanneo in Ecclesia in loco decēti, honesto, & sub claue, & quando contigerit, vt illa deferatur ad infirmum; Parochus ipse sit indutus superpelliceo, seu cotta, et stola, et ipsam etiam deferri præcipimus in bursa serica admodum accommodata, vt ad terram nullatenus decidere posit; sed cum summa deuotione, & reuerentia deferatur ad infirmum, & ei ministretur, vt supradictū est, et ad locum cōsuetū referatur, et reportetur sub pœna nostri arbitrii.

DE

DE ORDINIBVS SACRIS.

ORdo facer eſt ſextum ſacramentum; et quia ad ordines præſertim ſacros multi indigni, et ignorantes accedunt, volumus, vt vos Sacerdotes Clericos veſtros diligẽter inſtruatis, et moneatis, vt dent operam litteris, et bonis moribus.

Nullus audeat abſque noſtra licentia, et dimiſſorialibus litteris extra Diœceſim ordinari: ſub pœna decem librarum præter alias cenſuras, et pęnas à iure ſtatutas, niſi ſibi permiſſum fuerit à ſede Apoſtolica: ita tamen vt de tali permiſsione, ſiue licentia poſsit docere, et non aliàs.

Ignorantes, & non habentes legitimam ætatem nõ accedant ad ordines ſacros.

Monemus item neminem ad ordinem Subdiaconatus accedere niſi diuinum officium dicere, et ordinare ſciat, et textũ Euangelii intelligat, et ſciat exponere, ſaltem ad litteram, et ſit ætatis annorum viginti duorum. Ad diaconatus verò, niſi viginti trium. Ad presbyteratus verò, ante vigeſimum quintum annum ſuæ ætatis non promoueatur: ſub cenſuris, et pęnis ſacri Conc. Trident.

Ad ordines ſacros promouendi quales eſſe debent.

Quoniam ſæpenumero ad aures noſtras peruenit, et re ipſa cognouimus nonnullos ad primam tonſuram, et quatuor ordines minores, necnon ad alios ſacros, etiam presbyteratus ordines indigne promoueri ſe feciſſe, ante legitimam ætatem ſine litteris dimiſſorialibus ſui Epiſcopi, et etiam per ſaltum, et abſque competenti litteratura, vel abſque beneficio, vel ſufficienti patrimonio contra formam, et tenorem ſacrorum Canonum, et conſtit. Pii ii. et ſacri Conc. Trident. et proptea incurriſſe cẽſuras, ac pęnas dictorum Canonum, et conſtit. et ſacri Conc. Ideò omnes, & quicunquẽ, qui ſe ad primam tonſuram, et minores, ac ſacros etiam presbyteratus ordines promoueri facere voluerint monemus: vt dignẽ, ritẽ, et laudabiliter prædicta omnia facere ſatagant, iuxta formam, et tenorem

norem dictorum Canonum, constitutionis, et sacri Conc. sub censuris in dictis iuribus contentis, et sub penis arbitrii nostri pro qualitate personæ, et facti imponendis.

Clericus in minoribus non cantet Epistolam.

Nullus Clericus in minoribus constitutus in celebratione missarum epistolam cantare audeat. Nec vllus Rector Ecclesiæ, seu Capellanus hoc cõmittere, seu tolerare præsumat: sub pena nostri arbitrii pro quolibet contrafaciente.

Ordinatus extra Diœcesim non admittatur ad celebrandum nisi prius per nos approbetur.

Statuimus etiam, et ordinamus, quòd nullus ordinatus extra Diœcesim ad presbyteratus ordinem, admittatur ad celebrandum missas, nec celebrare præsumat; nisi prius nobis se præsentauerit, ut examinetur, et approbetur per nos, vel Vicarium nostrum in nostra absentia: quòd si quis extra nostram Diœcesim ordinatus sine huiusmodi licentia celebrare præsumpserit; in pœnam decem librarum puniatur.

DE MATRIMONIO.

MAtrimonium septimum est sacramentum Ecclesiæ: et quoniam matrimonium sancta res est: ideò sanctè tractandum est: Igitur præcipimus, et mandamus omnia, et singula constituta, et diffinita à sacro Conc. Trid. Sess. 24. capit. Tametsi seruari omnino ad vnguem debere.

Monitiones tres fiant à Parocho in Ecclesia antequã matrimonium contrahatur.

Idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio iii. celebrati vestigiis inhærēdo præcipitur, vt in posterum antequã matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter missarum solēnia publicè denuncietur inter quos matrimonium sit contrahendum.

Ad

Ad matrimonii celebrationem procedatur factis tribus monitionibus nullo impedimẽto existẽte.

Quibus denunciationibus factis: si nullum legitimum impedimentum opponatur: ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.

Matrimonium per verba de præsenti quomodo contrahatur.

Vbi Parochus viro, et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: ego vos in matrimonium cõiungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum nostræ Diœcesis ritum.

Denunciationes, seu monitiones in Ecclesia ex qua causa possint postponi.

Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimoniũ malitiosé impediri posse, si tot præcesserint monitiones: tunc vel vna tantùm denunciatio fiat, vel saltẽ Parocho, et duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur: deinde ante illius consumationem denunciationes in Ecclesia fiãt vt si aliqua subsint impedimenta, faciliùs detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio sancta Synodus reliquit.

Ad matrimonium contrahendum non seruatis seruãdis qui inhabiles reddantur, & contractus huiusmodi irriti, & nulli decernantur.

Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, vel duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit; prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat.

In ma-

In matrimoniis celebrãdis Parochi, & alii testes, qui aliquid egerint, & contraxerint contra formã Conc. Trident. puniantur.

Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minori testium numero, & testes qui sine Parocho, vel Sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos cõtrahentes grauiter arbitrio nostro puniendos decernimus.

Coniuges insimul non cohabitent non suscepta benedictione à Parocho.

Præterea eadem sancta Synodus hortatur, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadẽ domo non cohabitent.

Benedictionem coniugum nullus Sacerdos, nisi Parochus facere possit absque licentia ipsius Parochi, vel Ordinarij.

Statuimus benedictionem coniugum à proprio Parocho fieri, neque à quoquã, nisi ab ipso Parocho, vel à nobis licentiam ad prædictam benedictionem faciẽdam alii Sacerdoti concedi posse: quacunquè consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius coruptela dicenda est, vel priuilegio non obstantibus.

Si Parochus, vel alius sacerdos secularis, vel regularis alterius parochiæ sponsos in matrimonium coniungere seu benedictionẽ impartiri ausus fuerit suspensus est, ut ibi.

Quòd si Parochus, vel alius Sacerdos siue secularis, vel regularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine sibi licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, in matrimonium coniungere, seu benedicere ausus fuerit, ipso iure tàm diu suspensus maneat, quã diu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, siue à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur.

Librum

Librum Parochus habeat, in quo coniugum, &c. nomina describat.

Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & testium nomina diemquè, & locum contracti matrimonii describat, quē diligenter apud se custodiat.

Coniuges antequam contrahant, vel saltem per triduum antequam matrimonium copula carnali consument, peccata sua confiteantur, & deuotè sacramentum Eucharistiæ suscipiant.

Postremò sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii cōsumationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctisimum Eucharistiæ sacramentum piè accedant.

Si quæ prouinciæ aliis vltra, prædictas, laudabilibus cōsuetudinibus, & cæremoniis hac in re vtuntur, eas omnino retineri sancta Synodus, vehementer optat. Ex Conc. Tri. Sess. 24. c. 1. in fi.

De monitionibus nō fiendis pro pueris minoribus quatuordecim annorum, & pro puellis minoribus duodecim annorum non completorum.

Ad euitandum errores, & scandala, quæ sæpe proueniunt, quoniam nonnulli Parochi, seu eorum Capellani, ne dum parui pendunt, sed non erubescunt, monitiones in eorum Ecclesiis parochialibus inter missarum solennia facere pro pueris octo annorū, & puellis quindecim annorum coniungendis in matrimonio per verba de præsenti, qui pueri ne dum sciunt quid sit matrimonium, sed quid agant, penitus ignorant. Omnibus, & singulis Parochis, & aliis quibuscunque curam animarū exercētibus in nostra Diœcesi, præcipimus, & mandamus, q̄ nō audeant, nec præsumant quasuis monitiones in Ecclesiis facere, seu publicare super quibusuis matrimoniis contrahendis inter pueros, & puellas sine nostra expressa licentia: nisi masculi, & eorum quilibet decimum quartum annum: & si fuerit fœmina

nisi duodecimum suæ ætatis annum integré compleuerint: & siá quocunque prædictorum Parochorum, vel ab aliquo alio contra factum fuerit, pœna arbitrii nostri incurrat; & hæc ne aliquismodo matrimonium impediatur; sed vt magis liber cõsensus haberi dignosci possit.

Ad matrimonium non admittãtur vagantes, & incertas sedes habentes.

Parochis omnibus prohibemus ne quépiam vagantem, & incertas sedes habentem ad matrimonium accipiant absque nostra licentia.

Matrimonium, quò minus liberè contrahatur impedientes, & cogentes excommunicantur.

Ex Conc. Tri. Sess. 24. c. ita plerunq;. Præcipit sancta Synodus omnibus, & singulis cuiuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quouis modo directè, vel indirectè, subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quo minus libere matrimonium contrahant.

Quòd astantes dicere debeant impedimẽta, quæ sciunt.

Monemusque omnes, & singulos astantes supradictis monitionibus, ne vllum impedimentum matrimonium dirimens irreuelatum remaneat: quòd si quis eorũ sciuerit, aut notitiã habuerit de aliquo impedimento matrimonium dirimente, debeat publicare, sub pena excommunicationis.

Nullus contrahat matrimonium in gradibus prohibitis.

Clem. eos de cõsãg. & affin. Prohibemus quoque, sub pœna excõmunicationis, & quinque ducatorum auri, ne quis ausu temerario, & diabolica suggestione scienter præsumat aliquod matrimoniũ per verba de futuro celebrare cum aliqua muliere, sibi ratione consanguinitatis, aut affinitatis, vel aliàs in gradibus prohibitis, à iure Canonico coniuncta; & si quis matrimonium huiusmodi illicitum per verba de præsenti scienter contraxerit, incurrat pœnam decem ducatorum auri, & sit ipso facto excommunicatus, prout de iure.

De nup-

De nuptiarum temporibus.

Ab aduentu Domini nostri I E S V Christi, vsquè in diem Epiphaniæ: & à feria quarta cinerum vsquè ad octauam paschatis inclusiuè, antiquas solennium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari sancta Synodus præcipit: aliis verò temporibus nuptias solenniter celebrari permittit.

Ex Conc. Tri. Seß. 24. c. ab aduentu Domini.

DE CVSTODIA, ET CONTRE-ctatione Sacramentorum.

ADhuc de sacramentis Ecclesiæ diximus: modò de sacramentorum custodia, & contrectatione agendum est. Prohibemus igitur viros, & mulieres sanctiss. Eucharistiæ sacramentum: Chrisma: Oleum sanctum: aquam Baptismatis: Calices, & patenas, ne vos sacerdotes tangere permittatis.

Ne sacramenta cuipiam tradantur.

Prohibemus etiam, sub censuris, & pœnis superiùs in Rubrica, Sacramenta maleficis si quis dederit, contentis: ne quispiã aliquod sacramentum cuipiam tradere, aut dare presumat: præterquàm modo, & forma, ac in casibus ab ecclesia statutis.

Vasa, & ornamenta ecclesiastica Clerici abluãt.

Vasa sacra propriis manibus vos abluere, & abstergere debetis, Corporalia pariter, & huiusmodi similia manibus Laicorum abluenda esse omninò prohibemus. & aqua ablutionis intra ecclesiam, in loco, in quo conculcari pedibus non poßit, infundatur.

Ornamenta, & vestimenta sacerdotalia benedicãtur.

Ornamenta omnia Ecclesiastica, & vestimenta ministeriorum, vt sunt cruces: imagines: patenæ: calices: corporalia pallæ altaris: albæ: planetæ, seu casulæ, stolæ: amictus, & cingula, & huiusmodi similia benedici, & consecrari oportet per Episcopum, priusquàm diuino officio deputentur.

Nullus in diuinis vtatur vasis, et ornamẽtis nõ sacris.

Prohibemus sub pęna excommunicationis, & decem libra rum, ne quis calice, & patena non consecratis in celebratione missæ vtatur. Si quis verò aliis ornamentis non benedictis in huiusmodi celebratione vsus fuerit: puniatur in pœna quinque librarum.

De altaribus, & ornamentis eorum.

Omnibus Rectoribus ecclesiarum quaruncunque præcipimus, & expresse mandamus, sub pœna vnius aurei pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, habeant infrascripta in suis ecclesiis: altaria stabilia, vel portatilia consecrata, & nullatenus violata, sed munda, & nitida: linteamina, & manutergia decentia, non lacerata, non turpia, & immunda: & similiter pallia, crucem, & alias picturas decentes, & ornatas: calicem ex argento auratum, & similiter patenam auratam nullo modo violatas: corporalia: purificatoria nitida, & decentia: capsulam, in qua hostiæ consecrandæ conseruentur decenter: ampullas saltẽ vitreas nitidas, & pulchras, in quibus vinum, & aqua seruentur pro sacramẽto conficiendo in altari & non in aliqua parte fractas, vel turpes: candelabra insuper ænea, vel ferrea decentia tali, & tanto sacrificio: amictum: albam: stolam: manipulum: cingulũ: planetã, & alia vestimenta ecclesiastica pro qualitate cuiuslibet ecclesiæ decentia, nitida, non horrida, non turpia non lacerata quouis modo.

Nullus celebret cum vasis, et ornamentis violatis.

Præterea etiam statuimus, & ordinamus, quòd nullus Sacerdos præsumat super altari violato cum calicibus, & patenis violatis, fractis, & sordidis; aut super corporalibus laceratis, & sordidis celebrare: sub pęna quinque librarũ pro quolibet contrafaciente.

Vetusta ornamenta comburantur.

Ornamenta quoque huiusmodi supradicta, cum vetustate consumpta fuerint, volumus vt comburantur, & cineres

intra

intra Ecclesiam recondantur.

De calicibus, cæterisquè ornamentis ecclesiasticis non alienandis.

Si quis autem calices, patenas, cruces, iocalia, aliaquè ornamenta impignorare, vendere, aut aliàs alienare præsumpserit, vltra censuras, & pœnas à iure statutas, puniatur poena viginti librarum, & vltra cogatur integrè satisfacere ecclesiæ de damno, & interesse. Si quis autem res, & vasa sacra ecclesiastica impignorare, vendere, & alienare præsumpserit Hebræis: sit ipso facto excommunicatus, & vltra puniatur ad arbitrium nostrum.

DE CELEBRATIONE MISSARVM diuinorum officiorum, & ecclesiarum cultu.

SAcerdotes celebraturos sacrosanctum missæ sacrificium, quo viuifica illa hostia, qua Deo patri reconciliati sumus, in altari quotidie per ipsos immolatur, hortamur in Domino; & in quantum debemus, eis districtè præcipimus; vt omnem operam, & diligentiam adhibeant, vt quàm maximè fieri poterit, interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotione, & pietatis specie peragatur.

In celebratione missæ omnis auaritia, irreuerentia, & superstitio prohibetur.

In celebratione autem tam maximi, & tremendi mysterii prohibemus omnia, quæ vel auaritia idolorum seruitus, vel irreuerentia, aut superstitio induxit.

De celebratione missarum.

Prohibemus, ne sacerdotes aliis, quàm debitis horis missas celebrent, neuè ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab ecclesia probatæ, ac frequenti, & laudabili vsu receptæ fuerint: omnes alios abusus, etiam quarundam missarum, & candelarum certum numerum prohibemus: sub pœna nostri arbitrii.

Ex Cōc. Tri. Sess. 22. c. quāta cura.

In celebratione missæ nouæ multa prohibentur.

Prohibemus, ne quis sacerdos in celebratione nouæ missæ aliquid, quod ad auaritiam, pompam, faustum, superstitionemquè pertineat, agere præsumat; neuè se ad populum vertat, oblationes quasuis, seu munera recepturus: neuè conuiuia inuitatis exhibeat per se vel per alios quoscunquè: quæ omnia, & singula fieri prohibemus.

De missis, & anniuersariis defunctorum non celebrandis in diebus festiuis.

Missas defunctorum, & anniuersaria celebrari diebus Dominicis, & festiuis omnino prohibemus; præterquàm in depositione alicuius defuncti.

Quod pro missis votiuis, & processionibus, &c. aliquid non exigatur.

Prohibemus etiam, ne quis Sacerdos pro missis votiuis celebrandis: neuè pro aliis missis in festiuitatibus sanctorum; neuè pro defunctorum sepulturis, & eorum anniuersariis: neuè pro missis, quæ vulgò dicuntur le messe di san Gregorio: neuè etiam pro interuentione processionibus, quæ fiunt in die festi sanctissimi corporis Domini nostri I E S V Christi, vel infra octauam illius festi: aliquid petere, vel exigere, aut aliqua conuentione, vel pacto cum quauis persona inito, postulare; nisi tantùm illud, quod sibi ex charitate, deuotione, & sponte à Christifidelibus datum fuerit: sub pœna decem librarum pro quolibet contrafaciente.

Non admittatur ad celebrandum aliquis alienigena vel criminosus, qui non fuerit à nobis admissus.

Præcipimus etiam, vt irreuerentia euitetur, quod nullus Sacerdos nostræ Diœcesis admittat quempiam alienæ Diœcesis sacerdotem, qui à nobis non fuerit admissus, vel quempiam vagum, & ignotum ad celebrandum in suis ecclesiis, & nemini nem, qui publicè, & notoriè criminosus sit: sub poena vnius aurei pro qualibet vice, & quolibet contrafaciente.

Quod

Quòd non celebretur in domibus priuatis, vel oratoriis, ut ibi.

Prohibemus, quòd nullus Sacerdos tàm secularis, quàm regularis, audeat, vel præsumat sub pœna excommunicationis, & arbitrii nostri, celebrare missas, & diuina officia in domibus priuatis, neque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata à nobis, vel á prædecessoribus nostris oratoria vsque in præsentem diem visitata, & approbata, prout sunt infrascripta: videlicet.

Sarsinæ, Oratorium hospitalis sancti Hippolyti.

Oratorium castri Collonatæ.

Oratorium montis Petræ, quando fuerit reparatum.

Oratorium siue ecclesia montis sanctæ Luciæ in curte Ceulæ.

Oratorium sancti Vicini de musella, cum fuerit restauratum, & non aliàs, & tunc de licentia nostra.

Oratorium sancti Antonii de Ceula.

Oratorium castri Giagioli.

Oratorium castri Ranchiæ.

Oratorium castri Bucchii.

Oratorium sanctæ Mariæ de Baltiis.

Oratorium villæ Capannæ.

Oratorium Feleini.

De Bireto.

Super altare, in quo missæ celebrantur, nullus admodum tam stolidus, vel indeuotus Clericus, vel Sacerdos præsumat biretum ponere, vel aliquid tale: sub pęna triginta solidorũ.

Ne missa celebretur saltem ad minus, quàm cum duabus candelis.

Missa in qualibet ecclesia nostrę Diœcesis non minus, quàm cum duabus candelis cereis, quæ amplè sufficiant à principio vsque ad finem missæ, non celebretur; & in eleuatione sanctissimæ hostiæ, & calicis, ad minus semper vnum duplerium, vel intortitium accensum habeatur: sub dicta pœna.

Vt ſacerdos obſeruet ritũ miſſalis in celebratione miſſæ.

Nullus ſacerdos celebrans præſumat in celebratione miſſæ aliquid addere, pluſquàm in miſſali edito ſub fel. recor. Pio V. vel minuere, & cæremonias addere, vel prætermittere, vltra contentas in dicto miſſali: ſub pęna triginta ſolidorum.

De Clericis propter auaritiam diuina officia indignè celebrantibus.

Et quoniam Clericorum auaritia inualuit, quod ad nos pluries delatum eſt: & aliqui Curati cum ſciant nonnullos ſuorum Parochianorum, vel ex teſtamentis ſuorum prædeceſſorum, vel conſuetudine, vel alia de cauſa, teneri ſingulis annis aliquod officium, puta quatuor, vel quinquè Sacerdotũ, celebrari facere: ipſos Parochianos adeunt, & ſecum paciſcũtur, vt ſi eis certam pecuniam tradant, promittunt ſe tot miſſas calebraturos: Et ſic Parochianos inducunt, vt non ſeruent voluntates defunctorum: & ipſi auaritiæ prophanant templum Dei, & diuina officia. Nos huiuſmodi execrandæ auaritiæ, & cupiditati diabolicæ obuiare volentes: præcipimus, quòd ſi quis Sacerdos de cæterò talia perpetrare præſumpſerit: ipſo facto incurrat pœnam quinque ducatorum auri. Si quis autem Sacerdotum in futurum ad duo officia in vno die iuerit, prętér occaſionem ſepulturæ alicuius defuncti: ipſo facto incurrat pœnam decem librarum bononenorum.

Si quis etiam Sacerdos auaritia ductus directè, vel indirectè procurauerit recipere pecuniam pro miſsis dicendis (vt vulgo dicitur) di ſanto Gregorio, pro anima alicuius defuncti, & præſertim non ſuæ Parochiæ: teneatur ad reſtitutionem cuiuſuis quantitatis pecuniæ receptæ erogandæ à nobis, vel à Vicario noſtro alteri deuoto Sacerdoti: & vltra, dictus ſacerdos, qui talia egerit, puniatur in pœnam decem librarum, & non poſsit abſolui à quopiam, niſi præuia dicta reſtitutione.

Nullus quoque ſacerdos ab aliquo pœnitente, qui confeſſus fuerit peccata ſua, præſumat pro pœnitentia ei iniuncta, aliquid pro quauis occaſione, ſeu cauſa pro ſe petere, vel recipe

re: ſub

re: ſub poena excommunicationis, & arbitrii noſtri: & vltra, quòd non poſsit abſolui; niſi prius reſtituerit omne id, quod acceperit, in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri, vt reſtituatur in totum, & erogetur pauperibus.

Innouamus etiam quod aliàs à nobis ſtatutum fuit, quòd nullus ſacerdos noſtræ Diœceſis à Dominica Palmarũ, vſque ad Dominicam in albis: nec per octo dies ante Pentecoſten, & per eius totam octauam: necnon per octo dies ante natiuitatem Domini, & per totam eius octauam, accedat ad officia, ſeu anniuerſaria mortuorum; niſi pro ſepultura alicuius defuncti, vel pro feſtiuitate alicuius ſancti: tum quia illi dies ſub duplici ab eccleſia celebrantur; tum etiam, vt in illis diebus poſſint commodiús incumbere in audiendis confeſsionibus ſuorũ Parochianorum, & diuina officia in ſuis eccleſiis celebrare: ſub pęna decem librarum pro quolibet contrafaciente.

Si tot ſacerdotes haberi non potuerint in die funeris, & ſeptimarum, quomodo ſupplendum.

Si quis autem in eius teſtamẽto, vel aliàs quomodolibet, in die eius ſepulturæ mandauerit vt interſint officio pro exequiis celebrandis, puta x v. ſacerdotes, & totidem, vt dicitur, in ſeptimis celebrandis; & non potuerint haberi: mandamus, quòd voluntas teſtatoris executioni demãdetur, ita quod vna vice fieri non potuit, pluribus vicibus fiat: ſub pœna noſtri arbitrii.

Inſuper ad abolendam hanc malam conſuetudinem; ne mulieres in exequiis defunctorum plateas, villas, vias, & eccleſias impleant vlulatibus, vagitibus, & impertinentibus clamoribus, diuinum officium impediendo, ac multis occaſionem ridendi quandoquè præbendo: Eapropter omnibus mulieribus noſtræ Diœceſis præcipimus, & expreſsé mandamus quatenus ſub poena excommunicationis, & arbitrii noſtri ab hac die in poſterum in noſtra Diœceſi, tàm in die ſepulturæ, quàm ſeptimarum, non accedant ad eccleſiam plorantes, & eiulãtes; ſeu gemitibus, & ploratibus vociferantes: quòd ſi acceſ

ferint plorantes, eiulantes, & vociferantes ad dictas ecclesias: præcipimus, & mandamus omnibus personis ecclesiasticis quibuscunque, sub pœna excommunicationis; vt dimissis officiis omnibus, & extractis superpelliceis, recedant statim de ecclesia; excepto tantùmodo sacerdote tunc celebrante, & eius Clerico, qui tantùm missam terminabit submissa voce: & finita missa exibit ab ecclesia. Quòd si mulieres prædictæ voluerint contra voluntatẽ, & decretum nostrũ accedere ad ecclesias eiulantes, vt supra dictum est, pro morte suorum defunctorum: præcipimus quòd non possint absolui absque nostra expressa licentia á quouis sacerdote.

Musicæ, & cantus lasciui, & impuri prohibentur in ecclesiis.

Ab Ecclesia nostra Cathedrali, & ab omnibus Ecclesiis, & Oratoriis nostræ Diœcesis prohibemus musicas, vbi siue organo, & cantu lasciuum aut impurum aliquid miscetur.

Actiones seculares in Ecclesiis & alia prophana prohibentur.

Item seculares omnes actiones, vana, & prophana colloquia, strepitus, & clamores in Ecclesiis fieri prohibemus: sub pœna nostri arbitrii, pro quolibet cõtrafaciente; vt domus Dei verè domus orationis esse videatur, & sit.

De armis non portandis in ecclesiis cum hasta, vel arcobusio.

Item statuimus, & expressè mandamus, quòd nullus cuiuscunquè gradus, & conditionis existat, præsumat arma hastilia, seu arcobusios in Ecclesiis quouis modo ferre, siue portare: sub poena excommunicationis, & scutorum quinque pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice.

Item, quòd nullus Sacerdos audeat quouis modo missas, & diuina officia scienter celebrare in quibusuis Ecclesiis, vbi fuerint arma prædicta: sub pœna trium scutorum incurrenda ipso facto, pro quolibet sacerdote contrafaciente.

Moneantur

Moneantur populi, ut ſaltē diebus Dominicis, et maioribus feſtis ad ſuas Parochiales Eccleſias accedāt.

Præcipimus etiam omnibus Parochis, quòd moneant ſuos populos frequenter; vt ad ſuas Parochiales Eccleſias, ſaltem diebus Dominicis, & maioribus feſtis accedant.

De ſuperpelliceis portandis.

Et quoniam Clericus per indumentum ſuperpellicei inſtituitur: decernimus quòd nullus Clericus in ſacris ordinibus cōſtitutus præſumat intereſſe celebrationi diuinorum officiorū, abſquè ſuperpelliceo: ſub pœna ſolidorum viginti pro Canonicis, & Archipresbyteris; pro aliis Sacerdotibus, decem: pro qualibet vice, & quolibet contrafaciente.

Quòd Matutinum, & Horæ dicantur.

Volumus quoquè, vt omnes Clerici in ſacris ordinibus cōſtituti ſingulis diebus, matutinum, & horas canonicas dicant, niſi infirmi, aut aliàs legitimè impediti: ſub pœna quinquagima ſolidorum pro qualibet vice: quòd ſi per menſem, nulla impeditus cauſa, quiſpiam omiſerit: volumus eum legitimè beneficiis priuari: ſi non habet beneficium, per annum carcerari: quòd ſi hoc probari minimè potuerit, teneatur nihilominus ad reſtitutionem fructuum pro illo tempore, quo officium dicere omiſerit, legitimo ceſſante impedimento.

Nullus Sacerdos celebret niſi vnam miſſam ſingulo die.

Prohibemus, quòd nullus Sacerdos plures miſsas vna die celebret; niſi in die natiuitatis Domini noſtri IESV Chriſti: aut niſi in caſu vrgentis neceſsitatis. Nullus ſolus abſque Clerico miſſam celebrare præſumat: nec niſi ieiunus, & niſi prius nocte præcedenti dormierit: Si quis autem in quopiā prædictorum contra fecerit: ſciat ſe pœnam incurriſſe vnius aurei.

Nullus Sacerdos celebret miſſam, niſi prius dicto matutino.

Prohibemus etiam, quòd nullus Sacerdos miſſam celebrare

præsumat, nisi prius dicto matutino, & prima: nisi in casu vrgentis necessitatis.

Nullus Sacerdos existens in peccato mortali celebret; nisi prius confiteatur.

Statuimus etiam, & ordinamus sub pœna excommunicationis, quòd nullus sacerdos in peccato mortali existens missam celebrare audeat: nisi prius confiteatur peccata sua, nisi causa vrgens fuerit, & copiam confessoris habere non possit.

De crucibus circularibus non faciendis.

Monemus etiam omnes Sacerdotes: ut in celebratione missarum, super hostiam, & calicem cruces minimè circulares faciant, sed iunctis, & extensis digitis signent.

De filiis presbyterorum.

Quoniã sordidũ, & indignũ est: vt impudico patri filius minimè legitimus in ministerio altaris administret: decernimus quod nullus Clericus, qui existens in sacris filiũ genuerit, permittat eum sibi in diuinis ministrare, quũmodo habeatur pro eius filio ex fama quatuor proborũ virorum: sub pœna nostri arbitrii.

Ex Conc. Tri. Sess. 25. c. ut paterna.

Filii Clericorum illegitimi in Ecclesia, in qua eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, vel habuerunt; quodcũquè, etiã dissimile beneficium obtinere non possint.

Nullus sacerdos se intromittat in curam alienam.

Statuimus etiam, quod nullus Sacerdos cuiuscunquè gradus, ordinis, & conditionis audeat, vel præsumat se ingerere; vel intromittere in curam alterius Parochiæ, nec ulla sacramenta Parochianis alienis tradere, absquè licentia Rectoris, vel Capellani Parochialis Ecclesiæ; nisi in casu extremæ necessitatis: Sub pęna arbitrii nostri pro quolibet contrafaciente.

Sacerdotes conueniant in Ecclesia Cathedrali Sarsinæ ad celebrandum festum sancti Vicini.

Statuimus, & ordinamus (vt moris est) quòd die xxviii. Augusti, in qua festum sancti Vicini patroni nostri in Ecclesia nostra

noſtra Cathedrali Sarſinæ celebratur; omnes Sacerdotes præter nominatos in capitulo de celebratione rogationum: vt ad dictam feſtiuitatem celebrandam dicta die de mane conueniāt cum ſuis ſuperpelliceis: ſub pœna quadraginta ſolidorum applicandorum reparationi, vel ornamento dictæ Eccleſiæ.

Quòd Eccleſiæ non deſtituantur à ſacerdotibus ſine miſſa in diebus feſtiuis.

Inſuper nullus Sacerdos, Rector, vel Capellanus alicuius Parochialis Eccleſiæ noſtræ Diœceſis, ipſam eccleſiam abſque miſſa prius in ea celebrata dimittere præſumat: ſub poena viginti ſolidorum, in diebus feſtiuis, videlicet in omnibus diebus Dominicis, in die natiuitatis Domini noſtri IESV Chrſti cū tribus diebus ſequentibus: Aſcenſionis: Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus: Corporis Chriſti: in feſtiuitatibus beatæ Mariæ, ſaltem Purificationis: Annunciationis: Aſſumptionis: & Natiuitatis: omnium Apoſtolorum: In feſtiuitate omniū ſanctorum, & in commemoratione defunctorum. Liceat nihilominus in dedicationibus Eccleſiarum Sacerdotibus circum uicinis diſtantibus non amplius vnius miliarii, deſerere propriā eccleſiam pro honore, & celebratione tantùm dedicationis alterius Eccleſiæ, & non aliàs.

De aqua benedicta conficienda.

Decernimus etiam, quòd quilibet Sacerdos Parochialis ſingulis diebus Dominicis aquam ſanctam, benedicendo, conficere ante miſſam debeat, & ea populum aſpergere: quemlibet autē contrafacientē in poenam arbitrii noſtri puniri volumus.

Porcarii, & alij paſtores vocentur ad miſſam.

Monemus etiā vos omnes Sacerdotes; vt porcarios, & paſtores omnes aliorum animalium in veſtris Parochiis ad miſſam ſaltem in diebus Dominicis inuitetis, & vocari faciatis.

Quòd nihil petatur, vel exigatur pro officio catenæ ſancti Vicini.

Ne ob cuiuſpiam Sacerdotis auaritiam malum exemplum,

aut

aut murmuratio in populo oriatur: neuè Spiritus sancti gratia pretio vendatur: statuimus, & ordinamus sub pœna excommunicationis, quòd nullus Sacerdos, qui pro tempore præerit catenæ sancti Vicini pro exorcismis faciendis: missis dicendis, aut orationibus etiam scribendis, aliquod pretium, aut mercedem petat, aut recipiat pro se: sed id totum, quod oblatum, vel in manibus eius datum fuerit, in capsam, seu Zoccum ad huiusmodi eleemosynas deputatum imponat & mittat, recepturus tantum ex dicto Zocco quidquid ordinatum fuerit à nobis: Si quis contrafecerit, ipso facto, talem in poenam quinque librarum puniri volumus pro qualibet vice.

Nullus Sacerdos aduenam recipiat: neuè quispiam Rector det Ecclesiam ad affictum cuipiam sine nostra expressa licentia.

Nullus etiam Sacerdos aduena audeat, vel præsumat accipere aliquam ecclesiam ad affictum habentem curam animarum; priusquam se nobis præsentauerit, vel in nostra absentia, Vicario nostro; licentiamquè in scriptis à nobis habuerit, cautionemquè dederit de obseruandis constitutionibus nostris sub poena quinquè librarum pro quolibet contrafaciente: acceptante; & totidem pro quolibet Rectore dante.

Nullus Clericus excommunicatus celebret.

Nullus Clericus excommunicatus scienter audeat missam celebrare in nostra Diœcesi: sub pœna decē ducatorū auri pro qualibet vice; præter alias censuras, & pœnas à iure statutas.

Nullus celebret coram excommunicato.

Statuimus etiā, quòd nullus Sacerdos scienter missam celebret corā quouis Clerico, vel Laico excōmunicató: sub pęna decē librarū pro qualibet vice; præter alias iuris cēsuras, & pęnas.

Non sepeliantur in loco sacro qui eodem anno non fuerint confessi, & communicati.

Nullus etiam Clericus sub poena excommunicationis, & decem librarum audeat quempiam in loco sacro sepelire, qui eodem

eodem anno non fuerit confessus, & sacramentũ Eucharistiæ nõ sumpserit: dummodo legitimam ætatem habuerit.

De canibus non ducendis ad officia.

Quia sæpenumero cum maxima querimonia apud nos non nulli conquesti sunt, quòd quidam Sacerdotes, quando vocantur in Ecclesiis ad aliquas solénitates, seu officia celebrãda, ducunt secum canes venationum cum non modico quandoquè incommodo eorum, qui ipsis prandium præbent: Iccircô expresśé mandamus, quòd nullus de cæterò audeat ad huiusmodi solénitates, & officia secum canes ducere: sub poena vnius aurei pro qualibet vice.

De Prædicatore.

Cum omnibus Episcopis, & aliis personis Ecclesiasticis curam animarum habentibus ex decreto sacri Conc. Triden. præceptum sit; vt frequenter diebus præsertim Dominicis, & festis, inter missarum celebrationẽ, aliquid ex iis, quæ in missa leguntur, exponant: atque inter cætera ipsius sanctissimi Sacrificii mysterium aliquod declarẽt: Itaquè nos omnibus personis Ecclesiasticis curã animarũ habentibus mãdamus: Quatenus per se, vel alios, huiusmodi decretũ obseruent; aliàs grauiter puniẽtur: quod quidẽ cõmodè, & fructuosè perficere vnusquisquẽ poterit; si lectioni homiliarũ sanctorũ doctorum, & Catechismi, & aliarum diligenti studio operam dederit. *Ex Cõc. Tri. Sess. 22. c. & si missa.*

De Canonicis residentibus.

Canonici residẽtes nostrę Cathedralis Ecclesiæ, qui de mane horis diuinis, etiam in diebus festiuis celebrationi maioris missæ, & in vesperis tam diebus feriatis, quàm festiuis non interfuerint; distributiones quotidianas amittãt: iuxta taxationẽ aliàs per nos factam; quauis collatione, & remisśione exclusa. Qui verò aliter de distributionibus prædictis aliquid acceperint: exceptis illis, quos infirmitas, ac iusta, & rationabilis corporis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret; rerum sic acceptarum dominium non acquirant, nec faciant eas suas: *Ex Conc. Tri. Sess. 24. c. cũ dignitates.*

immò

immò ad omnium restitutionem, quæ receperint, teneantur. Psalmorum: et hymnorũ versiculi: lectiones, & orationes, quæ in choro recitantur, & omnia alia distinctè, & deuotè pronuncientur, & persoluantur.

De residentia Curatorum, & aliorum.

Omnibus, & singulis personis ecclesiasticis curam animarum habentibus, vel aliás beneficia ecclesiastica, quæ residentiam requirunt, obtinentibus, præcipimus, & mandamus: quatenus in dictis suis Ecclesiis residere debeant: nec ab illis recedere præsumant, contra determinationem sacri Conc. Trid. Sess. 23. c. cum præcepto diuino §. eadem omnino: sub censuris, & poenis, & aliis in dicto cap. contentis.

De Prædicatore, & Prædicatoribus.

Statuimus, & ordinamus, quòd Archipresbyteri, & Parochialium ecclesiarum Rectores, vel aliàs curam animarũ exercentes per se vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint; diebus saltem Dominicis, & festis solennibus, plebes sibi commissas salutaribus verbis pascant: docendo ea, quæ scire omnibus necessaria sunt ad salutem; annunciando eis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat; vt poenam æternam euadere, & cęlestem gloriam consequi valeant: sub poena arbitrii nostri: Et in supradictis omnes multa ex Catechismi lectione excipere poterunt, ad hoc munus explendum.

De Prædicatoribus.

Prædicatores omnes, qui pro tempore in nostra ciuitate, & Diœcesi ad populos concionabuntur, hortamur in Domino, & monemus; ut dignè, & laudabiliter, & deuoté, & cũ omni charitate prędicét Euangelium IESV Christi, & sanctorum patrum doctrinam sectentur: difficiles, & inutiles quæstiones vitent. Recordentur semper eorum sermones pro qualitate, & capacitate audientium, tales esse debere, vt populos à peccatis deterreant; & vt præcepta Dei obseruent, & vt memores beneficiorum, & dilectionis, & immensæ misericordiæ Dei erga nos ipsos, & ad diligendũ Deũ ex toto corde in

citent,

citent, & inducant: & proximum suum sicut semetipsos: & sæpenumerò eis supremi, & tremendi iudicii memoriam in auribus, & cordibus eorum imprimant, & infligant: & hæc cum omni spiritus, & vehementis ardoris charitate.

Nullus non Curatus, seu secularis prædicet.

Nullus Clericus secularis, vel regularis curam animarũ nõ exercẽs, vel aliàs Laicus, præsumat publicé prędicare sine nostra expressa licẽtia: sub pœna excõmunicationis, & arbitrii nostri. *Ex Cõcil. Tri. Sess. 25. c. contingit.*

Nullus præsumat eligere, seu admittere prædicatorem in nostra Diœcesi.

Nullus Clericus, seu secularis cuiuscunque gradus, & præeminentiæ existat, audeat, vel præsumat eligere, vel prædicatorem admittere quempiam in ecclesiis quibusuis nostræ Diœcesis, sine nostra licentia: sub poena excommunicationis, & viginti librarum bonenorum pro quolibet contrafaciente.

De Quæstoribus non admittendis.

Non admittantur quæstores pro indulgentiis publicandis, et pro quæstis faciendis: nec quæstores alii quocunquè nomine nuncupentur, sine nostra licentia manibus nostris subscripta: sub poena excõmunicationis, & arbitrii nostri: Quinimmo præcipimus, & mãdamus in omnibus seruari debere decretũ sacri Cõcil. Trid. iuxta eius formã, & tenorem: sub pœna nostri arbitrii. *Ex Con. Tri. sess. 21. c. cũ multa.*

De oratione Dominicali, & Salutatione angelica, Credo, & Salue regina.

Omnibus Parochis nostræ Diœcesis præcipimus, & expressè mandamus, sub poena arbitrii nostri; vt singulis diebus Dominicis, & festiuis: inter missarum solennia, vel antequam incipiant missam celebrare: doceant plebes sibi cõmissas orationẽ Dominicam; Salutationem angelicam: Credo in Deum, &c. Salue regina: eas alta, & intelligibili voce, distinctè, & deuotè recitando: Necnon, vel ante, vel post missam, seu post prandium, hora vespertina, prout eis magis opportunũ videbitur: pueros, & omnes alios quoscũquè vtriusquè sexus

conuocent: & rudimenta fidei,& doctrinam christianã eos doceãt: iuxta formã à nobis superioribus annis traditã: sub poena vnius aurei pro qualibet vice in quolibet præmissorũ, si contrafecerint. Nec nõ Curati omnes hora vesperarũ pulsent cãpanas, more aliarum ecclesiarum ad conuocandum populum in omnibus diebus festiuis: Horasquè vesperarum, & completorii alta, & intelligibili voce decantent, vel saltem recitent, prout commodiús facere poterunt: sub poena nostri arbitrii.

De Defunctis.

Defunctorum corpora inter maioris missæ celebrationem in Ecclesiam inferri prohibemus; sed ante, vel post.

De festorum veneratione.

Omnes, & quicunquè Clerici, & Laici non seruantes dies festos in honorẽ Dei, & gloriosissimæ Virginis Mariæ, & sanctorum ab Ecclesia dicatos; in quibus ab operibus seruilibus abstinendum est: excepto necessitatis casu: puniantur, prout in bulla Pii V. san. me. Prohibitionis blasphemiæ: sodomiæ: simoniæ: vbi sic dicitur: Qui verò in diebus præfatis opus aliquod illicitũ fecisse deprehensus fuerit: præter diuinam vltionẽ, & amissionem animalium, quibus ad vecturam vtetur, etiam graues poenas incurrat arbitrio nostro, seu Vicarii nostri in vrbe: in aliis verò locis: arbitrio Ordinariorum: & quod de diebus ferialibus dicimus; idem de diebus, qui de consuetudine approbati, in quibusdam Parochiis seruantur. Statuimus etiam, ne in diebus festiuis de præcepto, vel de consuetudine recepta, & approbata, fiant nundinæ, seu mercatus; sed in antecedentem, vel sequentem Diem, qui festus non sit, transferantur; sub poena arbitrii nostri, & successorum nostrorum. Et ne quis ignorantia se excusare possit, quòd nesciat quæ festa sint obseruanda: ea in his constitutionibus denominari volumus. Ab omnibus itaquè exercitiis, etiam laboreriis, cessandum est in infrascriptis diebus, quos celebrandos fore decernimus: Videlicet: omnes dies Dominicos: festum natiuitatis Domini nostri IESV Christi, cũ tribus diebus sequentibus; festum sancti

Syluestri Papæ: Circuncisionis: Epiphaniæ: Resurrectionis D. nostri I E S V Christi, cum duobus sequentibus: Ascensionis: Pentecostes, cum duobus sequentibus: Trinitatis: Corporis Christi: Purificationis: Annunciationis: Natiuitatis: & Assumptionis beatæ Mariæ: Inuentionis sanctæ Crucis: Natiuitatis sancti Iohannis Baptistæ: festa Apostolorum: Dedicationis sancti Michaelis: festum omnium sanctorum: festū sancti Laurentii: sancti Martini: sancti Vicini protectoris nostri, videlicet in die xxviii. Augusti. Necnon præcipimus ab omnibus operibus cessari in singulis Parochiis tantùm, in diebus dedicationis cuiuslibet Parochialis ecclesiæ, siue Oratorii. Festiuitates autem sancti Sebastiani; sancti Rochi: sancti Antonii abbatis; quamuis de præcepto ecclesiæ non sint; tamen quia ex deuotione, & consuetudine venerantur: hortamur omnes in nostra Diœcesi dictas festiuitates celebrare: & pariter festum visitationis beatæ Mariæ; & Conceptionis: quatuor doctorum Ecclesiæ videlicet sanctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini, & Hieronymi: Nec non sanctæ Mariæ Magdalenæ discipulę Domini nostri I E S V Christi: sanctæ Catherinæ, Luciæ, atque Agathæ virginum.

De celebratione rogationum in Ecclesia Cathedrali Sarsinæ.

Ad conseruationem pariter, & augmentum sanctorum huiusmodi institutorum, quò omnipotens Deus multiplicatis intercessoribus nos immensæ eius misericordiæ participes facere dignetur: statuimus, & ordinamus, vt omnes Sacerdotes, vel eorum Capellani; Parochialium ecclesiarum curam habentes; præter quàm Abbatiæ montis Cornari: Abbatiæ Vergareti, & plebis Vignole: Prioratus sancti Iohannis inter paras, propter locorum nimiā distantiam singulo quolibet anno in vigilia Ascensionis induti superpelliceis, siue cottis cum cruce decenter ornata, de mane hora competenti, cum suis parochianis processionaliter accedere debeant, ad sanctam ecclesiam cathedralem Sarsinæ, ad celebrandum deuotè officium roga

tionum, vt moris est: sub poena vnius aurei, pro quolibet cõtrafaciente, nisi fuerit legitimé impeditus.

De monitione facienda à Parochis super celebratione rogationum.

Volumus etiam, & mandamus vobis omnibus, & singulis Rectoribus, seu Capellanis parochialium ecclesiarum; vt in Dominica præcedenti festum Ascensionis in Ecclesiis vestris inter missarum solênia, Parochianos vestros admoneatis; quatenus sub poena excõmunicationis, vt vnus vir, & vna mulier pro qualibet familia in vigilia festi dictæ Ascensionis, ad ipsam Cathedralem Ecclesiam deuotè processionaliter, cum Sacerdotibus suarum parochialium accedere debeant, ad officium rogationum, & processionem prosequendam, iuxta ritum, consuetudinem, & decreta antiquissima nostrorum prædecessorum: ipsis parochianis intimando, quòd contrafacientes excommunicabuntur: Si quis autem vestrum, dictam monitionem populo facere omiserit, vel neglexerit: puniatur in poena vnius aurei.

De se abstinendo ab opere seruili in diebus processionum.

Omnibus, & singulis personis secularibus vtriusque sexus præcipimus, & mandamus: vt omnibus diebus, quibus processiones indictæ sunt à sacris Canonibus, vel ex consuetudine rationabili, legitimè approbata, debeant se ab omni opere seruili abstinere, & claudere eorum apothecas; quousque completæ fuerint dictæ processiones: sub poena vnius aurei pro quolibet, & qualibet vice contrafacienti, applicando pro tertia parte, Ecclesiæ parochiali illius parochiæ, in qua contrafactum fuerit: pro tertia parte pauperibus: pro alia tertia, Potestati, seu officiali illius loci, in quo talia perpetrata fuerint: Mandantes omnibus Curatis, vt debeant die Dominico præcedenti dictas processiones celebrandas publicare in Ecclesiis suis coram populo: sub pœna arbitrii nostri.

De non

De non ambulando in Ecclesiis.

Omnibus; & singulis personis tàm ecclesiasticis, quàm secularibus cujuscunquè gradus, & conditionis existant; præcipimus, & expresè mandamus: sub poena excõmunicationis, & arbitrii nostri, non audeant, vel præsumant in Ecclesiis quibuscunquè inhærere altaribus, seu super eis incumbere, & inniti dum diuina celebrantur, nec deambulare, vel quouis modo, loquendo, vel aliàs quomodolibet; diuina officia perturbare, vel impedire, per quemlibet, & qualibet vice contrafaciente in quolibet præmissorum ipso facto incurrenda.

De reparationibus Ecclesiarum, & ornatu.

Quoniam diuina officia in locis honestis, & decentibus celebrari debent: monemus omnes ecclesiarum Rectores; ut ecclesias suas reparare, restaurare, & ornare debeant, pro facultate, & pro posse: quòd si in Deum, et in Ecclesiam eorum, charitas refrigescet, et moniti negligentes fuerint: arbitrio nostro puniantur.

De Cæmeteriys, & eorum clausura.

Quoniam cæmeteria consecrata gaudent immunitate, qua gaudent Ecclesiæ consecratæ: itaquè mandamus de cætero, sub poena decem ducatorum ipsa cæmeteria sicut sacra, & sancta, in quibus corpora defunctorum sepeliuntur, non clausa, claudi debere in perpetuum, & sic clausa seruari, & custodiri: ita quòd in eis bestiæ, & animalia quæque ingredi non valeát, neuè quid seculare in eis agi, vel tractari posit, quouis modo. Et insuper mandamus, & præcipimus procedi contra omnes, & quoscunque, qui non seruauerunt, nec paruerunt decretis Illustris, & Reuerendissimi Domini Episcopi Famaugustani Visitatoris Sanctissimi D. nostri PP. & contra eos exequi iuxta formam, & tenorem decretorum ipsius, tàm contra personas ecclesiasticas pro vna tertia parte, quám contra seculares pro duabus tertiis partibus, pro ut in dictis decretis.

Non

Non sepeliantur in Ecclesiis, qui non habent sepulturam muratam.

Præcipimus, & expresse mandamus, quod nullus Rector Ecclesiarum, siue Capellanus audeat, vel præsumat sub poena excommunicationis, & decem librarum quempiam cuiuscunque status aut conditionis in eorum Ecclesiis sepelire, nisi habeat sepulcra, ex lapidibus constructa, & decenter ædificata, sed in Cæmeteriis sepeliatur. Si quis autem ausu temerario, & contra voluntaté Rectoris, aut Capellani in aliqua Ecclesia in foueis quempiam sepeliuerit, eum cum complicibus suis, ipso facto, excommunicatum esse decernimus; & ultra, in pœnam decem librarum ipso facto in currat.

De Pauimentis Ecclesiarum.

Monemus quoque omnes Rectores Ecclesiarum in virtute sanctæ obedientiæ, pro posse procurent eorum Ecclesias pauimentis, saltem ex lateribus, ornare, & decorare: iuxta formam decretorum Reuerendissimi Visitatoris prædicti, & sub poenis in eis contentis.

De candelis non vendendis in locis sacris,

Prohibemus etiam; sub pœna excommunicationis, quód nullus Laicus possit vendere candelas, nec dupleria cerea in locis sacris. Si quis autem ter monitus contrafecerit, mandamus præsenti cóstitutione, auctoritate nostra ordinaria, per Rectorem, vel Capellanum Ecclesiæ, vbi candelas, & dupleria vendiderit, excommunicari.

De Ieiuniorum obseruatione.

Quàm maximè gratum Deo ieiunium existat: tum quàm plurimis sacræ paginæ testimoniis, tum ex decretis sanctæ matris Ecclesiæ, clarissimè constat: Non .n. lex Moysi data est, nisi præuio ieiunio, sed vt cætera omittantur: Christus redemptor noster ieiunium sanctificauit, quadraginta diebus, & noctibus ieiunando; quamobrem si nos christiani Christum saluatorem, & D. nostrũ imitari volumus; ieiunare debemus, & tenemur:

tenemur: & præsertim in diebus ab ipsa sacrosancta matre Ecclesia statutis: videlicet toto tempore quadragesimali, exceptis dumtaxat diebus dominicis: Quatuor temporibus anni: In vigilia natiuitatis Domini nostri I E S V Christi: In vigilia assumptionis beatæ Mariæ: In omnibus vigiliis apostolorum, præterquam sanctorum Iacobi, & Philippi: In vigilia sancti Iohānis Euangelistæ, quæ venit infra octauam natiuitatis D. nostri. Ieiunandum est quoque in vigilia omnium Sanctorum: sancti Iohannis Baptistæ: sancti Laurētii: & sancti Vicini patroni, & protectoris nostri Hortamur igitur omnes christifideles, vt omnibus supradictis diebus ieiunent, ne facientes contra præcepta Ecclesiæ, peccent, & eapropter ab omnipotenti Deo grauiter puniantur.

De Ieiunijs obseruandis, & peccatis euitandis.

Omnibus Curatis precipimus: ut plebibus suis annuncient quibus diebus, videlicet, supradictis, ex præcepto sanctæ matris Ecclesiæ, ieiunandū sit: moneantque dictas plebes à carnibus, ouis, caseo, & ab omnibus lacticiniis abstinere prædictis diebus: quodque quam maximè à vitiis, voluptatibus, luxuriis, obscœnis verbis, detractionibus, & ab aliis peccatis omnibus abstineant: Parum enim prodesset se à cibis abstinere, & ieiunare, & lasciuiis, auaritiis, obscęniis, obtrectationibus, odiis, & aliis peccatis, & excessibus inuolui.

DE FRVCTIBVS, ET BONIS *Ecclesiarum, & Hospitalium.*

CVm multa de diuinorum officiorum celebratione, Ecclesiarum cultu, & de festorum, & ieiuniorum obseruatione dixerimus: modò de fructibus earum, & de alijs pertinentibus ad dictas ecclesias dicendum est; & maximè ad conseruationem iurium, & bonorum ipsarum, & ad comprimēdam auaritiam, & pariter prodigalitatem, & ingluuiem nōnullorum Clericorum.

De

De Intrusis.

Statuimus igitur sub pœna excommunicationis, & decem ducatorum auri, quòd nullus tàm Clericus, quàm Laicus audeat, vel præsumat absque iusto titulo tempore vacationis alicuius beneficii, vel quouis alio modo se intrudere in quodpiã beneficium in nostra Diœcesi absque nostra expressa licẽtia, vel Vicarii nostri in nostra absentia.

Contra omnes asportantes bona Ecclesiarum mortuis Rectoribus, quorũ absolutio reseruatur Episcopo.

Vt nonnullorum execrandam auaritiam cohibeamus, & compescamus: prohibemus, sub pœna excommunicationis omnes, & quoscunquè, tàm clericos, quàm laicos cuiuscunqué gradus, & conditionis, ne mortuo Episcopo Sarsinæ, vel quolibet Rectore Ecclesiarum, vel Capellano, bona mobilia, & immobilia, & iura quæcunq; episcopatus, et cuiuslibet Ecclesiæ Sarsinæ Diœcesis deprauato, & iniquo furandi animo auferre, vel quouis modo asportare, vel asportari facere audeat, vel præsumat, præsenti constitutione perpetuò valitura: & sub pari pœna prohibemus omnes agentes, & consentientes, & consilium, & auxilium dantes: & talium delinquentium absolutionem nobis dumtaxat reseruamus.

Excõmunicantur occupantes bona Ecclesiastica, vel iura vel possidentes bona emphiteotica absquè inuestitura, & iusto titulo.

Et quoniam nos maximé decet Ecclesiarum bona, & iura tueri: ideo præsenti Synodo admonitionem generalem, & peremptoriam facientes, prohibemus ne quis audeat, vel præsumat scienter, bona mobilia, preciosa, & immobilia Ecclesiarum, & Hospitalium occupare, & vsurpare, nec non bona emphiteotica tàm nostri episcopatus Sarsinæ, quàm Canonicæ, & aliarum ecclesiarum: Abbatiarum, & Prioratuum in nostra Diœcesi existentium, scienter, malitiosè, & fraudulenter, absque innouatione, inuestitura, & iusto titulo, tenere, et possi-

dere

dere, in fraudem & damnum dictarum Ecclesiarum, nec instrumenta, & scripta publica, vel priuata, vel alia quæcunque iura, ecclesiarum scienter, iniquo, & indurato animo in eorum præiudiciũ, occupare, vel retinere. Si quis autem ad adultam, & discretionis ætatem iam peruenerit, in quopiam supradicto rum casuum contrafecerit, vltra poenam statutorum, & decretorũ, talem, siue tales ipso facto vinculo excommunicationis innodatos esse in his scriptis decernimus, & promulgamus: à quo nisi per nos, & successores nostros, ac Vicarium in absentia nostra absolui præterquàm in articulo mortis, non possint: volumus; & mandamus: & tunc etiam læso satisfaciãt ut tenentur. Addimus & huiusmodi constitutioni nostræ à nobis promulgatæ, quod postmodũ in Conc. Trid. statutũ est Sess. 22, c. si quem Clericorũ, quòd oẽs tàm clerici, quã sæculares, quicũque sint, & quauis dignitate perfulgeãt, occupãtes iurisditiões, bona, cẽsus, & iura, etiã feudalia, & emphiteotica: fructus, emolumenta, seu quascunq; obuentiones, quæ in ministrorũ, & pauperũ necessitates conuerti debent per se, vel per alios, &c. quacunq; arte, aut quotũque quæsito colore in proprios vsus conuertere, illosq; vsurpare præsumpserint, seu impedire, ne ab eis, ad quos iure pertineat, percipiantur: tàm diu anathemati subiaceãt, quã diu integrè restituerint: ac deinde á Rom. Pontifice absolutionem obtinuerint, prout latius in dicto Concilio.

De administratoribus Hospitalium.

Statuimus, & ordinamus futuris temporibus in perpetuum, quòd nõ omnes de populo Ciuitatis Sarsinæ, et castrorũ, ac aliorum locorum nostræ Diœcesis, vbi hospitalia sita sunt, eligantur, seu deputentur administratores, factores, seu syndici ad curam, & regimen dictorum hospitalium, seu piorum locorum prædictorum; sed teneantur eligere duodecim, vel viginti, aut plures homines bonæ vitæ, & famæ, timentes Deũ, non tamen pauperes, vel egenos, quorum nomina describantur, & per sortes extrahãtur duo ex ipsis singulis annis, qui officium huiusmodi administratorũ, seu syndicorũ, aut factorũ per annũ

integrum exerceant, Habeant enim administratores huiusmodi, seu factores, vel syndici, omnimodam facultatem percipiẽdi, & recipiendi omnes fructus, redditus, prouentus, eleemosynas, & emolumenta quæcunquè dictorum hospitalium, seu piorum locorum quoruncunqué quouis nomine nuncupentur: eaque vendendi, alienandi, seu distrahendi, dispẽſandi, distribuẽdi, & largiendi in vtilitatem tamẽ dictorum hospitalium, & piorũ locorum, & pro subuentione, & sustentatione pauperum, & non aliàs, & cum omni diligentia, cura, fide, & charitate, tanquàm de patrimonio I E S V Christo rationem reddituri, ante tremendum tribunal ipsius: Non liceat tamen quouis modo ipsis administratoribus, seu syndicis, vel factoribus auctoritate propria hospitalarios de dictis hospitalibus, vel laboratores de possessionibus, seu agris dictorum hospitalium, seu locorum piorum expellere, vel alios loco eorum ponere, nisi de consilio, & consensu expresso consiliariorum, seu syndicorũ Cõmunitatum locorum in quibus dicta hospitalia, & pia loca quæcunque sita fuerint, hac tamen conditione, quòd vbi consiliarii, seu syndici, & procuratores ad duodecimum numerũ nõ peruenerint, tunc, & eo casu ipsi consiliarii, seu syndici, vel procuratores assumãt secũ tot viros probos, & timentes Deũ, qui omnes faciant numerum duodecim, & auctoritate maioris partis, omnia supradicta peragant, & faciant: & si secus factum fuerit, id totum sit nullum, inualidum, & nullius roboris, & ii, qui talia fecerint, arbitrio nostro, & nostrorum successorum grauiter puniantur.

De reddenda ratione administrationis Hospitaliũ.

Omnibus autem supradictis administratoribus, factoribus, & syndicis hospitalium, confraternitatum, & aliorum piorũ locorum quoruncunquè præcipimus, & mandamus expresse sub poena excommunicationis, & arbitrii nostri: quatenus singulis annis, finito eorum tempore, debeãt infra mensem coram nobis venisse, & rationem administrationis reddidisse, iuxta formam sacri Concilii Tridentini Sess. 22. cap. Administra-

tores,

tores, præſentibus ibidem adminiſtratoribus, factoribus, & ſyndicis electis, & deputatis loco eorum.

De Inuētariis bonorū beneficiorum conficiendis.

Statuimus etiam, quòd omnes de cætero Clerici, infra menſem poſt adeptam pacificam poſſeſsionem, ſui beneficii, ſeu beneficiorum, teneantur facere Inuentarium omnium bonorum cuiuslibet beneficii tàm mobilium, quàm immobilium in præſentia deputatorum in Parochia dicti beneficii, vel trium proborum virorum dictæ parochiæ, & dictū inuentarium præſentare infra dictum tempus nobis, & in noſtra abſentia, noſtro Vicario, idque regiſtrari procurare in libro ad id deputato, ſub poena quinque librarum: & collationando dictum Inuentarium cum Inuentario prædeceſſoris: dignoſci poterit, ſi quid deerit, vel ſubreptum, & occupatum fuerit, & ſi quid amiſſum fuerit, recuperare pro ut tenentur,

Quòd fructus ante recollectum non poßint uendi, vel impignorari, vel alienari.

Nullus quòque Clericus ante recollectum præſumat vinū, granum, vel alios fructus cuiuſcunquè generis vendere, vel alienare, vel quouis modo impignorare publicè, vel priuatim ſub poena decem librarum; & quodlibet inſtrumentum, ſeu ſcriptum ſuper prædictis confectum, tàm ex parte Clerici, quā Laici ſemper nullum; & inualidum, & nullius roboris, & momenti fore decernimus.

Quod Beneficia non locentur vltra trienniū.

Decernimus inſuper, ſub poena librarum quinque præter alias poenas in iure, quòd nullus Clericus audeat, vel præſumat aliquod beneficium, vel beneficia, aut beneficiorum fructus cuipiam religioſo, vel laico ad affictum dare, vltra tempus trium annorum, & quód non det abſque ſcripto coram teſtibus facto, & quodlibet inſtrumentum contractus ſcriptū contra formam præſentis conſtitutionis factum, ſit nullum, & nullius valoris;

De confraternitatibus, seu Societatibus quibuscunque non rite institutis abolendis, vel in melius reformādis, et de prohibitione super præmissis.

Quoniam in nostra Diœcesi sæpenumero aduertimus, et nō nisi cum magno intrinsecus cordis dolore, nonnullas, et varias Confraternitates institutas fuisse ab aliquibus potius ad cō messationes, quàm ad honorem, et gloriam Dei, et eius Beatissimę virginis matris Mariæ, & eius sanctorū, quàm ad deuotionem populorum, & compertum fuit ex inde maxima scandala oriri, et dilapidationes, et defraudationes dictarum confraternitatum, in grauissimum dānum, et perniciem animarum eorum, qui talia agunt, et perpetrant. Propterea huiusmodi scandalis, et peccatis obuiare volentes: omnibus, et singulis Prioribus, Syndicis, & Factoribus tā ecclesiasticis, quā sæcularibus dictarum confraternitatum, seu Societatum præcipimus, et expresse mandamus, sub poena excommunicationis, et arbitrii nostri, debeant infra tempus, et terminum duorum mensiū post impressionem, et publicationem harum nostrarum constitutionum coram nobis comparuisse, et præsentasse omnes ordinationes, et capitula dictarum suarum cōfraternitatum, quas rite canonice, & deuotè institutas esse comperuerimus, libenti, animo non solum approbabimus, verū etiam totis viribus eis auxilium præbebimus: Si secus autem, vel reformabimus, & in melius reducemus, aut in totū abolebimus. Et de cætero in perpetuum præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis personis, tā Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, sub poena excōmunicationis, & nostri arbitrii Confraternitates, seu Societates introducere, seu instituere nō præsumant in nostra Diœcesi, absque nostra licentia: præter institutionem societatis gloriosissimi corporis IESV Christi, sanctissimi nominis Dei, et sanctæ Crucis, & Rosarii beatissimæ virginis Mariæ, seruatis in omnibus cōtentis in literis apostolicis super his editis, & auctoritate Reuerēdissimi patris Generalis ordinis prædicatorū, & ordinationibus nostris impressione datis præcipiendo omnibus

nibus

nibus Parochis, vt hoc decretum, postquàm erit impressum, publicent in suis Ecclesiis.

De grauaminibus Laicorum.

Quoniam nos decet Clericos ecclesiastica libertate tueri ideò præcipimus, quòd nullus Clericus in nostra Diœcesi audeat, vel præsumat, sub pœna excommunicationis, & decem librarum persoluere aliquam collectam, vel impostam de bonis ecclesiasticis, alicui Laico, absque mandato, & commissione summi Pont. aut Legati apostolici, vel nostra, & successorum nostrorum expressa licentia.

Vide Co
Tr. in S
25.c. in
fin.

Clerici non pareant Laicis.

Pari modo sub eisdem censuris, & pœnis omnibus Clericis præcipimus, ne præceptis, & mandatis cuiuspiam Laici ad ipsorum personam factis, aut occasione bonorum ecclesiarum emanatis pareant, vel obediant: absque dicti summi Pontificis aut Legati apostolici, vel nostra, & successorum nostrorum licentia.

Laici non molestent Clericos.

Omnes autẽ Laicos Clericis, vel Ecclesiis collectas, vel grauamina imponentes, vel occasione personarum ipsorum, seu bonorum ecclesiasticorum eis præcipientes, vel eos grauantes, cogentes, & molestantes absque licentia summi Pont. aut Legati apostolici, vel nostra, & successorum nostrorum, eos ipso facto, & quemlibet eorum cum omnibus id agentibus, & consentientibus excommunicatos declaramus, & pronunciamus: prout est de iure, & non alias.

De decimis, primitiis, censibus, & quartesimo.

Et quia non minus fures sunt, qui decimas, census, primitias, & quartesima, & huiusmodi similia ecclesiis debita persoluere subterfugiunt, & nolunt, quàm qui furantur: in maximam animarum suarum perniciem, & ecclesiarum damnum. Ideò volentes talibus animabus, & ecclesiis nobis subiectis succurrere: præsenti constitutione decernimus, & declaramus omnes, & quoscunque, qui moniti, & legitimè requisiti decimas, & huiusmodi

iusmodi similia supradicta, cuicunquè Ecclesiæ, siue personis ecclesiasticis, tàm de iure, quàm de consuetudine debita fraudulenter, & deliberatò animo persoluere subterfugerint, & noluerint, cũ habeât vnde possint, præcipimus, & mãdamus omnibus, & singulis Sacerdotibus in nostra Diœcesi comorantibus, sub poena excommunicationis, & decem librarum scienter, et malitiosè neminem supradicto modo monitum, et legitimè requisitum, & propter solutionem non debitè factam de dictis censibus, primitiis, et quartesimis absoluere, neque eucharistiæ sacramentum eis tradere præsumant.

Vide Côc. Tri. in Ses. 25. c. non sint.

De Cathedratico persoluendo.

Simili modo etiam statuimus, & ordinamus, quòd omnes Clerici, qui cathedraticum, siue aliquam quãtitatem grani, aut cuiuscunquè generis fructuum, aut pecuniarum persoluere, & dare obligati sint, & tenentur tàm de iure, quàm de consuetudine nobis, et successoribus nostris occasione nostri Episcopatus, debeant, sub poena dupli, dictum cathedraticum, et huiusmodi fructus, et pecunias persoluere, et consignare singulis annis, nobis vel nostro agenti ad id deputato iuxta consuetudinem approbatam, per totum dimidium mensis Septembris, et huiusmodi solutionem annotari, et describi facere in libro cathedratici ad id deputato, quod fiet absque vllo præmio.

DE PIIS CAVSIS, ET TESTAMENTIS

Quòd hæredes, et fideicommissarii teneantur infra annum satisfacere piys causis.

CVm etiam in nostra Diœcesi, quamplures reperiantur qui nõ tantũ decimas persoluere recusant; verùm etiã piis causis, à prædecessoribus suis in testamento relictis satisfacere non solum negligunt, sed contẽdunt, et nolunt: idcirco præsenti constitutione decernimus, quòd tàm hæredes, quàm fideicõmissarii infra annum à die mortis testatoris debeant integrè satisfecisse huiusmodi piis causis: denunciantes, et declarantes quòd omnes, qui malitiosè, et fraudulẽter contrafecerint, præ-

ter indignationem Dei, quam propter eorũ graue peccatũ nõ effugient, à nobis excommunicabuntur.

Notarij significent legata.

Notariis siue Tabellionibus omnibus præcipimus, et expresse mandamus, ut infra viginti dies significet nobis, & successoribus nostris, per cedulas manu ipsorum subscriptas, legata ad pias causas facta, de quibus rogati fuerint, sub poena decem librarum pro quolibet, & qualibet vice contrafaciente.

Testari ne quis possit impedientes grauiter puniãtur.

Omnibus personis tã Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus cuiuscũquè gradus, & conditionis existant mandamus, & expresè prohibemus, ne prohibeant Sacerdotes, seu Notarios siue testes, quominus ad infirmos accedere posint; seu dictos infirmos, vel alios quoscunque, ne posint testari, vel aliàs quomodolibet suas vltimas voluntates explicare, siue testamẽta, seu codicilla conficere: si quis autem in quolibet prædictorum contrafecerit, incurrat poenam ipso facto viginti ducatorũ auri, et teneatur ad omne damnũ, et interesse læso.

Nullus Sacerdos fideicommissarios, & hæredes causis pijs non satisfacientes absoluat.

Mandamus igitur insuper, & expresè præcipimus omnibus, et singulis Clericis, & personis ecclesiasticis cuiuscunque gradus, status, ordinis, & conditionis existant, in nostra Diœcesi cõmorantibus, sub poena excommunicationis, tales hæredes, et fideicommissarios, qui non satisfecerint huiusmodi pijs causis vt supra, scientes se esse debitores absoluere, & sacramentum eucharistiæ eis tradere non audeant, nisi in articulo mortis, et nisi prius data idonea cautione de satisfaciendo; dummodo habeant vnde satisfacere posint, quòd si quis ausu temerario, contrafecerit vltra dictam poenam, punietur in poenam decem librarum pro quolibet.

Episcopi sunt piarum voluntatum executores.

Sciant autem omnes, et singuli nostræ Diœcesis Episcopos

Ex Conc. Tri. sess. 22.c.Epis. ḿpos tanquam sedis apostolicæ delegatos in casibus à iure con cessis, omnium piarum dispositionum, tàm in vltima uolũtate, quàm inter viuos esse executores.

DE VSVRIS, ET MALE ABLATIS.

VSurarum voraginem vtriusque testamenti pagina dete standam summopere euellere, & penitus eradicare cu pientes, statuimus, et ordinamus, vt nullus Clericus, vel Lai cus, sub poena excommunicationis vsuram exercere, aut con tractus vsurariam prauitatem sapientes, facere audeat, vel præsumat, contra formam, & tenorem nostri edicti iam du dum publicati, et impreſsioni dati: Si quis autem auaritia, aut diabolica suggestione cõtrafecerit, vltra quòd incurrat poenã medietatis rei, quam dederit ad vsuram; nihilominus dictus vsu rarius ante omnia cogatur restituere proximo suo, quicquid extorserit præter sortem; et si quis accusatus, vel inquisitus ex officio, de huiusmodi delicto fuerit, ante omnia cogatur cautionem dare de iudicio sisti, et iudicatum soluere.

Puniatur accepiens ad Vsuram absq; necessitate.

Si quis autem non necesitate, sed cupiditate, et auaritia pe cunias aut quoduis aliud à quopiam acceperit, propter quod vsuraria prauitas committatur; vt mercando, emendo, vende do, vel quoquo modo negociando, lucrum, vel commodum sibi faciat, vltra satisfactionem debitam, talem puniri volumus, et decernimus in poenam medietatis rei, quam acceperit ad vsuram.

De Notariis conficientibus contractus Vsurarios.

Tabelliones, et Notarios vsurarios contractus, instrumen ta, aut aliàs publica, vel priuata scripta, etiam palliata scien ter conficere prohibemus: sub poena excommunicationis, & vltra, contrafacientes in poenam quinque ducatorum aur pu niẽdos esse statuimus: quod si quis iterato fecerit: in poena dupli puniatur: Si verò tertiò, puniatur in poenam viginti ducatorũ,

& priuetur

et priuetur officio notariatus, et nihilominus contractus, instru menta, et scripta publica, vel priuata huiusmodi semper irrita et nulla, & nullius roboris, et valoris esse decernimus, non obstantibus iuramentis, aut aliis quibuscunque in ipsis appositis.

Vsurarij manifesti ad sacramenta Ecclesiæ, nec ad se pulturam ecclesiasticam non admittantur à Clericis.

Vsurarios item omnes manifestos priuatos esse decernimus ab absolutione cófessionũ suarum, à communione altaris, & à sepultura ecclesiastica, & oblationes eorum minimè recipi mandamus, eorumquè testamenta nulla, & nullius roboris, et valoris esse statuimus, donec integrè, & plenarié satisfecerint, de vsuris extortis proximo suo pro facultatibus suis, prout habetur ĩ c. quãquã de vsur. lib. vi. Clericos auté, & ecclesiasticas personas cuiuscunqué conditionis, & status, qui huiusmodi manifestos vsurarios scienter in confessionibus absoluerint ẽt in articulo mortis (nisi prius satisfecerint, vel cautionem idoneam coram notario, & testibus de integrè satisfaciendo dederint) & ad communionem altaris, & sepulturam ecclesiasticã admiserint, aut eorum oblationes receperint, præter cẽsuras, & poenas à iure statutas, in poenam decem librarum mulctari volumus. *c. quãquã de. usur. lib. 6.*

Vsurarii poenitentes dent cautionem de satisfaciẽdo.

Si quis autem vsurarius poenitentia ductus ad confessionem deuenerit, & pro tunc ei non esset facultas satisfaciendi parti de extortis vsuris, & nihilominus peteret absolutionem, animo satisfaciendi: tunc, & eo casu decernimus, quòd vsurarius huiusmodi nobis, & successoribus nostris, vel Vicario nostro, vel parti det cautioné idoneam coram Notario, & testibus de integré satisfaciendo dictę parti, si vsura fuerit manifesta; & si fuerit secreta præstabit iuramentum in manibus confessoris, de integré satisfaciendo infra certum breue tempus, aliàs absoluendum fore prohibemus:

In vltimis autem voluntatibus, mandamus omnino seruari decretum dicti cap. quãquam de vsuris lib. v i.

Quòd vsuræ, & malè ablata incerta non dispensentur absque licentia Domini Episcopi.

Cum vsuræ, & malè ablata, & incerta, de quibus nescitur cui restitui debeant, sub Episcoporum dispositione cõsistant, monemus omnes, & singulas personas ecclesiasticas, & sæculares nostræ Diœcesis, vt huiusmodi vsuras, & malè ablata, incerta sine nostra, & successorum nostrorum licentia, vel Vicarii nostri in nostra abscẽtia, scientia, cõsilio, et assensu, restituere, & dispensare minimè præsumant, vel audeãt, sub excõmunicationis, & arbitrii nostri poena; possint nihilominus dispensare à viginti solidis infra erogãdis omnino pauperibus valde egenis, & non aliis, & nullo quouis modo, sibimet confessoribus, etiam egenis approprient.

c. quiq. 1. de vsur. lib. 6.

Excommunicantur, et puniuntur, sepelientes vsurarios manifestos in loco sacro cõtra voluntatem Presbyteri Parochialis, aut Capellani.

Si quis autem cuiuscunque gradus, vel conditionis contra voluntatem Rectoris, vel Capellani parochialis Ecclesiæ, aliquem vsurarium manifestum in loco sacro sepelierit, sit ipso facto excommunicatus, & vltra puniatur in poenam decem ducatorum auri.

DE FVRANTIBVS.

Clerici non absoluant furantes nisi satisfecerint.

Et quoniam tanta hominum auaritia mentes inuasit, vt nõ solum vsuras cõmittant nõnulli, verum etiam rapinas, & furta perpetrent, nullam habentes rationem animæ suæ nec dãni proximi: Ideò vt huiusmodi execranda cupiditas refrenetur expresiè prohibendo mandamus, quòd nullus Sacerdos quempiam Clericum, seu Laicum absoluere præsumat, qui huiusmodi

modi furta, & rapinas perpetrauerit, nisi prius proximo suo satisfecerit; dummodo talis fur commodé posit satisfacere ante confessionem. Pari modo agendum esse decernimus, & statuimus, contra eos qui oues, boues, asinos, equos, & huiusmodi similia proximi sui palam publicé, aut occultè, non per errorem, sed deliberato, & scelerato animo interfecissent, vel vulnerassent, aut læsissent in præiudicium dicti proximi sui: quemcunque Sacerdotem scienter sic contrafacientem à diuinis suspendendum esse decernimus.

De Clericis furantibus.

Si quempiam autem Clericum furantem, & proximum suum supradicto modo lædentem, nobis constiterit: eum puniri volumus in poenam decem librarum, & vltra ad arbitriũ nostrum, & nostrorum successorum, prout nobis videbitur, pro grauitate criminis, & offensæ proximo suo illatæ, & nihilominus ante omnia proximo suo de damno, & iniuria illata satisfaciat: quod si iterato perpetrauerit, vltra pecuniariam poenam, pœnitentiam agat in carcere ad arbitrium nostrum.

De criminibus quibusdam enormioribus.

Quoniam quàmplurima crimina sunt, quæ grauioribus pœnis punienda sunt: ideò in præsenti Synodo admonitionem generalem, & peremptoriam facientes vltra poenas, & mulctas iuris, prohibemus sub poena excommunicationis, ne quis homicidium facto, consilio, aut mandato perpetrare præsumat, nec infantes de nocte, vel de die ad vllas Ecclesias, oratoria, cellas, aut alia loca occultè, aut palam deportare, vel præsentare, vel deportari, & præsentari facere; præter quàm ad Hospitalia; aut adulterium, stuprum, incestum, aut huiusmodi similia, violenter perpetrare: Nec scienter falsum testimonium in præiudicium alterius proferre, vel iurare, aut scriptum publicum, vel priuatum, sigillum, aut literas in alicuius præiudicium falsare, vel falsari facere, nec scienter eis falsis vti: Nec dare alicui quicquàm ad comedendum, aut potandum per quod non

posſit concipi, vel ſoboles naſci, vel propter quòd poſsit fieri abortiuum.

De caſibus reſeruatis Domino Epiſcopo.

Quamuis quàmplurimi caſus ex reſeruatis nobis dignoſci poſsint à legentibus præſentes conſtitutiones: nihilominus ad faciliorem eorum notitiam, omnes in vnum colligere voluimus; mandamus itaque, & decernimus, quòd nullus Sacerdos cuiuſcunquè gradus, ordinis, & conditionis de infraſcriptis caſibus quempiam abſoluere præſumat, abſque mandato, & licentia noſtra, & Vicarii noſtri, in abſentia noſtra à Diœceſi, prærterquàm in articulo mortis: quemcunque autē ſcienter contra facientem vltra poenas iuris, in poenam decem librarum puniri volumus.

Omnes hæreticos, omnes excommunicatos, omnes homicidas, omnes incendiarios, violatores immunitatum Eccleſiarum, omnes falſarios, matrimonium contrahentes cōtra formam ſacri Concilii Trident. in conſtitutionibus noſtris notatā, oppreſſores infantium, & tenentes eos in lecto ante annum, & diem, periuros, et falſos teſtes, ſodomitas, fornicantes cum ſorore, moniali, cum filia ſpirituali, cum brutis, ſepelientes hæreticos, vſurarios maniſeſtos, notarios conficientes inſtrumenta, ſcripta, & contractus vſurarios, percutientes patrem, vel matrem violenter, vtentes tàm cum virginibus, quàm cū quibusuis perſonis, Simoniacos, omnes aliquid enorme circa adminiſtrationem ſacramentorum agentes, omnes diuinatores, ſortilegos, incantatores, magos, & medicantes cum quauis verborum interuentione, concubinarios publicos; habentes filium ex viro non ſuo, procurantes abortum, vel ſterilitatem, reuelantes confeſsionem ſine licentia confitentis, occupantes bona epiſcopatus, vel cuiuslibet Eccleſiæ, Oratorii, Capellæ, vel Hoſpitalis, poſsidentes bona emphiteotica epiſcopatus, canonicæ, & cuiuſcunquè abbatiæ, prioratus, & eccleſiæ, abſq; inueſtitura, & iuſto titulo: omnes non ſoluentes decimas, cenſus, quarteſima, & ſimilia; omnes non ſatisfacientes piis cauſis

post elapsum annum: omnia incerta, & male ablata, à viginti solidis supra reseruamus, administratores Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum, qui post annum & mensem non reddiderint rationem coram nobis de administratione sua: polluentes Ecclesiam scienter seminis, vel sanguinis effusione, dantes ad id auxilium, & cõsilium; omnes male promotos, Notarios non proferentes notulas testamentorum ad pias causas,

Quæ à præceptoribus grammaticæ doceri prohibita sunt.

Omnibus præceptoribus, qui pro tempore literas grammaticales in nostra Diœcesi scholares docuerint, prohibemus, sub pœna excommunicationis, & decem ducatorum poemata, aut quæcunque opera lasciuia, & impia exponere non audeant.

De constitutionum interpretatione.

Constitutiones has nostras ad literam intelligi volumus, & mandamus, si quid autem in illis obscurum, aut non satis clarũ et dilucidum apparebit, expositionem, & declarationem huiusmodi nobis, & successoribus nostris tantummodo reseruamus.

Quòd posit procedi de similibus ad similia.

Et quoniam multa possent contingere, quæ expressa non essent in præsentibus constitutionibus, multaquè scandala, & crimina perpetrari possent, de quibus hic mentio nulla facta esset, itaque ne propter hoc aliquod delictum impunitũ remaneret statuimus, & decernimus, vt in omnibus, & singulis casibus occurrentibus, & in huiusmodi constitutionibus non expressis, debeat recurri ad generales constitutiones Marchiæ Anconitanæ, & secundum illas, casus, seu causæ debeant decidi, & terminari. Quibus deficiẽtibus, recurratur, ad ius canonicum, & supradictis deficientibus possit, & debeat procedi de similibus ad similia, secundum quòd iusdicenti, æquitati, & iustitiæ magis conuenire videbitur.

Quòd

Quòd quilibet Rector Ecclesiæ siue Capellanus habeat penes se constitutiones.

Vt autem omnes Clerici sciant quid sibi agendum, quidque cauendum, vt rectè, & sanctè viuant, & diligenter peragant, quicquid ad eorum officium, & curam pertinet: præcipimus, & expressè mandamus, quòd vnusquisque saltem Rector cuiuslibet Ecclesiæ curam animarum habentis, seu Capellanus, siue Vicarius, & Clerici omnes in sacris ordinibus constituti, constitutiones huiusmodi penes se habeant, quas, vt cōmodius haberi possint, imprimi curabimus. Si quis autem infra sex menses à die huiusmodi publicationis dictas constitutiones penes se non habuerit, puniatur poena quadraginta solidorum, & nihilominus eas habere cogatur: reperientur enim venales Sarsinæ apud Vicarium, vel Notarium nostrum.

Procuratores causas miserabilium personarum gratis tueri teneantur.

Procuratoribus omnibus nostræ Diœcesis præcipimus, & mandamus sub poena excommunicatiouis, & arbitrii nostri, causas miserabilium personarum gratis tueri, & defendere.

Notarij non se intromittant in causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus nisi fuerint admissi à nobis.

Cum ex Notariorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriantur: eapropter huiusmodi incōmodis, et damnis obuiare volentes: Notarios quoscunque, & tabelliones, etiam si apostolica, imperiali, aut regia auctoritate, creati fuerint, nostræ Diœcesis prohibemus, sub poena arbitrii nostri in negociis, litibus, & causis Ecclesiasticis, & spiritualibus se quouis modo intromittere, seu quoduis officium impēdere, siue exercere nō audeāt, nisi fuerint admissi à nobis.

De salario præceptoris grammaticæ ex ordine sacri Concilij.

Omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis cuiuscunq; gradus,

dus, & conditionis existant, quæ tenentur ad contributioné sti-pendii præceptoris grammaticæ ex Conc. Triden. præcipimus, quatenus singulis tribus mensibus debeant persoluisse ratam sibi tangentem in manibus ad id deputati, sub poena viginti so lidorum pro quolibet contrafaciente.

De examinatoribus.

Examinatores singulis annis in Synodo deputati examinan di causa eos, qui beneficiis vacantibus prouideri voluerint: caueant ne quicquam prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec postea accipiant: alioquin symoniæ vitium, tàm ipsi quàm alii dantes incurrant, a qua absolui nequeant, nisi di-missis beneficiis, quæ quomodocunquè etiam antea obtinebãt, & ad alia in posterum inhabiles reddantur, prout dicitur in Conc. Trid. Sess. 24. c. expedit.. §. sint verò.

De exercentibus curam animarum in Monasterijs.

Omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tàm sæculari-bus, quàm regularibus cuiuscunque gradus, & cõditionis exi stant, quæ exercent curam animarum in monasteriis, seu do-mibus virorum, seu mulierum nostræ Diœcesis, quibus immi net cura animarum personarum secularium, quoniam imme-diatè in his quæ ad dictam curam, & sacramentorum admini-strationé pertinent, iurisditioni, & visitationi, & correptioni nostræ subsunt: præcipimus ne ibi aliqui etiam ad nutum amo uibiles deputentur, nisi de nostro consensu, & præuio examine per nos aut Vicarium nostrum faciendo: sub poena excommuni cationis, & arbitrii nostri. Eosdéque charitatiuè monemus, & illis præcipimus, & mãdamus quandiu curã animarũ exercue rint in dictis monasteriis, ac domibus, coram nobis, ĩn Ecclesia nostra Cathedrali Saginæ in Synodo generali diœcesana, se præsentare, & adesse debeant, vt ibidem ipsi posśint rationé reddere coram nobis de his, quæ pertinẽt ad dictam curam ani marum, prout necesse fuerit, ac à nobis admoneri, & doceri de his quæ ad dictam curam, & ad alia oportuna pertinebunt.

Ex. Conc. Trid. Sess. 25. c. In monasteriis.

Prohiben

Prohibentur Iudices ſæculares ne quouis modo ſe intro mittant in cauſis ad forum Eccleſiaſticum ſpectantibus.

Cauſas omnes Clericorum ſæcularium, religioſorum, eremitarum, hoſpitalium, & aliorum locorum, necnon vſurarum contractuum ſimulatorum vſurariam prauitatem ſapientium, decimarum, matrimoniorum, ſacrilegii, hæreſis, ſimoniæ, beneficiorum iuris patronatus, & alias omnes de iure, ſeu de cōſuetudine ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, non mixtas, prohibemus ne à quopiā iudice audiantur, vel iudicentur, neque in eis ſe quouis modo intromittant, abſque noſtra licentia, ſub poena excommunicationis, & arbitrii noſtri, præter alias poenas à iure ſtatutas.

Iudices ſæculares nullam habent authoritatem, & facultatem aliquid diſponendi cōtra præcepta legis diuinæ, & canonicæ.

Cū Iudices ſæculares nullā habeant authoritatē, & facultatem diſponendi, ſeu ſtatuendi aliquid contra præcepta legis diuinæ, & canonicæ: quinimmo ea teneantur obſeruare, & obſeruari facere cū omni reuerētia, & deuotione: eapropter prohibemus omnibus, & ſingulis iudicibus ſæcularibus quód non audeāt, nec preſumāt in diebus feſtiuis, & aliis de præcepto Eccleſiæ quibuſuis Laicis, ſeu Sæcularibus concedere licentiā vt poſſint aliquod opus ſeruile exercere, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, ſub pœna excōmunicationis, & viginti ducatorū applicādorū pro tertia parte domino loci, pro tertia parte pauperibus, pro alia executori.

De excommunicatis.

Si quis excommunicatus per annum, & diem ſententiam excommunicationis ſuſtinuerit, & in ea indurato animo permanſerit, tanquam contra hæreticum procedi debere ſtatuimus, prout de iure, & vltra ad arbitrium noſtrum, et ſucceſſorum noſtrorum puniri volumus.

De Testibus Synodalibus.

Præcipimus, & expresſè mandamus Vicario noſtro generali, vel aliis à nobis deputatis, vel deputandis in noſtra abſentia, vel nobis legitimè impeditis ad viſitandam noſtram Cathedralem Eccleſiam, & omnes, & ſingulas eccleſias curatas, & noncuratas, tàm ſæculares, quàm regulares, necnon Hoſpitalia, confraternitates, & alia loca pia, qualiacunque quouis nomine nuncupentur noſtræ Diœceſis noſtræ Viſitationi ſubiectis iuxta formam, & tenorem ſacri Conc. Trid. conſtituātur in qualibet parochia ſeptem, aut tres ad minus uiri matu riores, boni, probi, bonæ, & laudabilis vitæ, qui medio ſingulorum iuramēto omnia, & ſingula peccata enormia, ſi quæ, quod Deus auertat, perpetrabuntur tám à perſonis eccleſiaſticis, quā ſecularibus nobis denunciare conſtringantur: Si aliàs in Synodo Diœceſana à nobis conſtituti non fuerint. 35. q. vi. *epiſcopus*

De Synodo celebranda.

Vt autem gregē nobis cōmiſſum prout bonū decet paſtorē ſalubriter regere, et gubernare valeamus, et in omnibus in quātum in nobis erit, opportune prouidere: præſenti conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, vt ſingulis annis in die Lunæ poſt feſtum ſanctiſsimæ Trinitatis in Eccleſia noſtra Cathedrali Sarſinæ generaliter, & ſolenniter, Synodum Diœceſanā celebrādā fore in qua interſit, et præſit Epiſcopus Sarſinæ, qui pro tēpore erit, uel ipſo abſente eius Vicarius generalis: Quapropter oēs, et ſingulos tàm ſæculares, quā regulares Abbates, & alios prælatos, Archidiaconū, Canonicos, Archipresbyteros, presbyteros, eccleſiaſticaſq; perſonas cuiuſcūquē ſtatus, ordinis, gradus, & cōditionis exiſtant, quæ de iure, vel cōſuetudine ad dictā Synodū venire tenentur, monemus abſq; vlla alia citatione facta tēpeſtiuè de mane, & ieiuni intrent ſanctā Synodum: Clerici ſęculares cū ſuperpelliceis, regulares verò in habitu ſui ordinis veniendo, ſtando, & redeundo honeſté. Qui verò ad Synodū abſque iuſto impedimento venire neglexerint, vel noluerint. tanquam contumaces puniantur in poenam vnius aurei. Nullus

quoque abſque licentiæ Domini Epiſcopi recedat finita Synodo, ſub poena quadraginta ſolidorum.

Ad Synodum etiam exempti venire tenentur.

Ad Synodum Diœceſanam exempti etiā omnes, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec capitulis generalibus ſubduntur, ratione tamen parochialium, aut aliarum ſæcularium eccleſiarum, etiam annexarum debent ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi ſint, Synodo intereſſe: quòd ſi negligentes fuerint, vltra poenas ſacris Canonibus ſancitas tā quàm contumaces vnius aurei pœnam, vt ſupra incurrant.

Ex Conc. Trid. Seſſ. 24. c. prouincialia.

Puniātur facientes rixas in Synodo.

Si quis autem in Synodo rixas, ſeu tumultum fecerit, aut aliquod contumelioſum verbum protulerit: ipſo facto incurrat poenam vnius aurei, & vltra carceretur ad arbitrium Domini Epiſcopi, prout ei videbitur pro grauitate criminis in aliorum exemplum.

De applicatione pœnarum.

NE vnquam in mentem cuiuſpiam tantummodo venire, neque quis ſuſpicari poſſit, quòd nos auaritiæ, & cupiditatis ſomite, mulctarū illationibus in præſentibus cōſtitutionibus contentis retia, ſeu laqueos ad exhauriendas ſubditorū pecunias te tenderimus, & parauerimus; quinimmo iuſtitiæ, & potius æquitatis zelo, quicquid in ipſis conſtitutionibus continetur ſtatuiſſe, & decreuiſſe: omnes, & ſingulas tàm Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, quàm Laicorum, ſeu Sæcularium poenas, & mulctas, tertiam partem ædificationi, ſeu reparationi noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, ſacriſtiæ, campanilis, & pro omnibus pertinentibus ad prædicta; ſiue in vaſis quibuſcunquè ad cultum diuinum pertinentibus, ſiue pro indumentis ſacerdotalibus, ſeu linteaminibus, picturis, ornamentis, pannis, & aliis quibuſcunquè, non tàm opportunis, & neceſſariis, quàm vtilibus dictæ noſtræ Eccleſiæ, ſacriſtiæ, & campanili, quam extra eam, & circa eam, quomodolibet, vel quomodocunquè pro aliqua parte Eccleſiis noſtræ Diœceſis, ſi tamen nobis, &,

successoribus nostris placuerit, applicamus: & pro tertia parte pauperibus, ita quòd dictæ duæ tertiæ partes non possint applicari, nec debeant quouis modo in aliis rebus conuerti; nisi vt supradictum est. Pro alia verò tertia parte executori.

Quò verò ad poenas, & mulctas supradictas applicatas, seu applicãdas volumus, quòd omnia in prædicta constitutione cõtenta seruentur: non obstantibus edictis, constitutionibus, & ordinationibus quibuscunquè à nobis vsque in præsentem diem editis, promulgatis, & publicatis; quibus omnibus, & singulis derogamus, & derogatum esse volumus, & declaramus per præsentes omni meliori modo.

De modo procedendi in causis quibuscunquè.

Volentes, quàm citius fieri possit, vnicuiquè iustitiam impartiri, & litibus, & causis tàm ciuilibus, & beneficialibus, quàm criminalibus, & extraordinariis, tàm mixtis, quàm simplicibus, quæ plurimùm per cauillationes, & subterfugia dilatantur, ordinem, & finem breuissimum imponere, ipsisquè cauillationibus obuiare: præsenti constitutione firmamus, et ordinamus, quòd super prædictis causis procedatur, & procedi debeat per iusdicentes Curiæ nostræ episcopalis Sarsinæ iuxta dispositionem, & formam statutorum dominii temporalis dicti nostri Episcopatus de materia huiusmodi loquentium: & in casibus in statutis non comprehensis, procedatur in prædictis causis iuxta consuetudinem fori ciuitatis Sarsinæ, vel dispositionem iuris communis.

Quomodo procedatur ex officio.

Volumus insuper, quòd Vicarius noster generalis, & alii iudices nostri ecclesiastici possint ex officio, & absque querela in omnibus casibus in nostris constitutionibus contentis, & aliis ad forum ecclesiasticum spectantibus inquirere, & procedere, nisi aliter à iure cautum fuerit; seruata tamen forma constitutionum Aegidianarum carte 69. de raptu mulierum, adulterio, incestu, & stupro, §. item quia propter, circa ea de quibus ibi.

De solutionibus quibuscunq; fiendis in dictis causis.

Insuper aggressi materiam salariorum, & mercedum scripturarum capituum solidorum, & emolumentorum quoruncunque in supradictis causis, & salariorum aduocatorum, & procuratorum, de quibus quotidie multiplices querelæ audiuntur: dignum arbitramur eis omnibus modum, & ordinem imponere, ne litigantes, & alii indebitè grauentur, & iudices,& alii sua condigna mercede non defraudentur, & labores meritorii irremunerati non dimittantur; Ideò prohibemus, & statuimus, quòd prædicti iusdicentes, aduocati, & procuratores,non audeant,vel præsumant,quicquid aliud pro prædictis mercedibus capitibus solidorum, & salariis accipere vltra dictam taxationem dictorum statutorum, & consuetudinem dicti fori,sub poena dupli illius,quod acceperint vltra dictam taxam,& consuetudinem,seruatis tamen in præmissis, & aliis quibuscunquè, quæ statuta sunt vbilibet à sacro Cócilio Trid.

Vt obseruentur omnia quæ statuta sunt à Sancta Rom. Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra & ab oecumenicis Conciliis.

Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus committimus, & mandamus,ut obseruent omnia,quæ statuta sunt á sancta Rom. Ecclesia omnium ecclesiarum magistra,& ab oecumenicis Conciliis, nec non ea, quæ in Concil. Tridentino diffinita sunt,& omni diligentia illis omnibus vtantur,& in iis præcipuè sint obsequentes,quæ ad mortificãdum carnem conducũt; vt ciborum delectus,& ieiunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatẽ augendam, vt dierum festorum deuota, & religiosa celebratio,& mandamus omnibus supradictis obedire præpositis suis, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui verò cótẽmnunt,Deum ipsum vltorem sentient, vt his, & piis orationibus tandem placatus,qui in sæcula semper sit benedictus Deus,corda hominum ad ueræ suæ fidei agnitionem, & sanctæ matris Ecclesiæ vnitatem, ac rectè viuendi normam reducere dignetur.

Suprascriptę

SVprascriptæ cõstitutiones lectæ, editæ, & publicatæ fuerũt in Synodo generali legitime cõgregata de mãdato præfati Reuerendissimi in Christo patris Domini Lelii Garuffi de Piis, de Bertinorio, Dei, & sedis Apostolicæ gratia Episcopi Sarsinæ, & Comitis Bobii in Cathedrali Ecclesia Sarsinæ ipsa Synodo astãte, & approbãte, die 27. mẽsis Iunii de anno 1575 & etiam reformatæ cum quàmplurimis additionibus ex sacro Concil. Trid. annotatis Anno Domini 1575. Pontificatus Sanctissimi D. N. Gregorii Papæ XIII. Indictione tertia Anno Quarto.

ET ego Benedictus Capellus de Sarsina publicus Apostolica, & Imperiali auctoritate Notarius, iudexq; ordinarius prædictis omnibus, et singulis, ut supra in dictis constitutionibus cõtentis interfui, eaque fieri uidi, & in notam sumpsi, & rogatus publicaui signum nomenq; meum apposui consuetũ in fidem, & testimonium prædictorum omnium, et singulorũ.

L A V S D E O.

Loco  *Signi.*

Lælius Garuffus de Piis de Bertinorio Epis. Sarsinæ.

Quoniã ab aliquibus audiuimus dubitari, vel interpretari vel le nostras cõstitutiones præter intentionẽ nostrã presertim, sub rubrica De modo proceden. in causis quibuscunque, quæ incipit volẽtes quã citius, videlicet habere locũ quo ad augmentationẽ, et diminutionẽ mulctarũ, & poenarũ prout in statutis de quibus fit mẽtio in dicta cõstitutione, volentes, Nos itaq; cupiẽtes obuiare dubiis, seu interpretationi quorumuis hominũ cũ ad nos spectet interpretari, et declarare nostras constitutiones, dicimus, ac declaramus dictam constitutionem nullatenus habere locum, quo ad augmentationem, vel diminutionem mulctarum, et poenarum quarũncunque, nisi forte aliter in aliis constitutionibus superius editis, & publicatis, vel in iure expressũ fuerit. Datũ Sarsinæ in ædibus nostris die 18. Septẽb. 1578.

Benedictus Capellus Not. Sarsinas Mand.

Memo-

MEmoriale Domini Lælii Episcopi Sarsinæ super tractā dis in Visitatione suæ Cathedralis Ecclesiæ, necnon Ecclesiarum, Hospitalium, et aliorum locorum piorum suæ Diœcesis, pro locorum, et temporum occasione, et personarum qualitate, non minus commodum dicto D. Episcopo, atque aliis ab eo deputandis ad huiusmodi munus Visitationis, quàm aliis visitandis, quo quis scire possit, quid agere quidue euitare debeat.

Episcopus primò scire debet, quòd semel in anno tenetur visitare suam Diœcesim per se, vel per alios nisi legitimo impedimento detentus, vt habetur x. q. i. c. decreuimus c. Episcopum, & c. mandamus de off. Archi. & glos. in c. conquerēte. in ver. Annum de offi. Ord. et in Conc. Trid. Sess. v i. c. capitula, vbi dicitur, quòd Episcopi, et alii maiores prælati capitula ecclesiarum cathedralium, et aliarum maiorum Ecclesiarū totiens quotiens, opus fuerit, visitare, corrigere, et emendare etiam auctoritate apostolica possint, et valeant.

Item beneficia suarum Diœcesum singulis annis visitare tenentur Sess. v i i. c. beneficia, et c. locorum Ordinarii, vbi dicitur, quòd locorū Ordinarii Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas auctoritate apostolica singulis annis visitare teneantur, et opportunis iuris remediis prouidere, vt quæ reparatione indigent, reparentur, et cura animarum si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minimè defraudentur, omnibus appellationibus, et inhibitionibus penitus exclusis, et Sess. 14. c. omnes, vbi dicitur, quòd Ecclesiarum prælati ad corrigendum subditorum excessus diligenter intendere debēt, si in Ecclesiis suis resederint, quoscunque sæculares clericos qualitercunque exemptos, qui aliàs suæ iurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus, et delictis quotiens, et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tanquàm ad hoc apostolicæ sedis delegati, corrigendi, et castigandi facultatem habeāt, et reliqua vide ibi, et Sess. 2 1. c. quæcunque, vbi dicitur, quòd ab Ordinario quæcunque in Diœcesi ad Dei cultum spectant, diligenter curari, atque iis, vbi oportet prouidere, equū est.

Propte-

Propterea commendata Monasteria etiã Abbatiæ, Prioratus, Præpositurę nuncupatæ, in quibus nõ viget regularis obseruantia: Necnon beneficia tàm curata, quàm non curata, sęcularia, & regularia, qualitercunquè cõmendata, etiã exempta, ab Episcopis, etiam tanquam sedis apostolicæ delegatis, annis singulis visitentur. Curentquè iidem Episcopi congruentibus remediis, etiã per sequestratione fructuũ, vt quæ renouatione indigēt aut restaurationes reficiantur, & cura animarũ, si qua illis, vel earũ annexis immineat, aliaquè debita obsequia, rectè exerceātur. Appellationibus, et priuilegiis nõ obstãtibus, et reliqua vide ibi & Sess. 24. c. Patriarchæ, & ibi vide quãplura ad hanc materiã pertinentia; & ibidem c. quæ aliàs, vbi dicitur, quòd quæ aliàs sub fęlicis record. Paulo iii. & nuper sub beatissimo D. N. Pio iiii. in hoc eodem Conc. de adhibenda ab Ordinariis diligentia, in beneficiorum etiam exemptorum visitatione, constituta sunt, eadem etiam in iis Ecclesiis sęcularibus obseruentur, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur, vt ab Episcopo cuius cathedralis ecclesia est proximior, si id fieri possit, alio quin ab eo, qui semel in Concilio prouinciali à prælato illius loci electus fuerit, tanquam sedis apostolicæ delegato visitentur: non obstantibus priuilegiis, &c. & reliqua, Quæ omnia ibi valde notanda sunt, & in eadem Sess. c. Episcopi, vbi dicitur, quòd vt aptius, quem regunt populum, possint in officio, atquè obedientia continere in omnibus iis, quæ ad visitationẽ, & morum correctionem subditorum suorum spectant, ius, & potestatem habeant, etiam tanquam sedis apostolicæ delegati ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi iuxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorũ emẽdatione, ac Diœcesis suæ vtilitate necessaria videbuntur. Nec in iis, vbi de Visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut vlla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad sedẽ apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab iis mandata, decreta, aut iudicata fuerint, quoquomodo impediat aut suspendat.

Episcopi etiam tanquam sedis apostolicæ delegati ius visitã-

di habent, Hoſpitalia collegia quæcunque, ac confraternitates laicorum, etiam quas ſcholas vocant, ſiue quocunque alio nomine vocentur dicto Conc. Seſſ. 22. c. Epiſcopi il ſecondo.

Epiſcopus verò in viſitatione ſeruatis cerimoniis in Pontifi. cali contentis in primis debet verbum Dei proponere populo, ac plebi, ut habetur c. Romana. §. ſanè de cenſibus lib. 6. & d. Conc. Seſſ. 5. c. Quia verò, & Seſſ. 24. c. Patriar. Cũ Epiſcoporũ præcipuũ munus ſit prędicare c. Prædicationis munus eadẽ Seſſ. 24. Inquirat deinde Epiſcopus quo iuſto titulo quiſlibet Rector beneficiũ eccleſiaſticũ poſsideat. c. 1. de reg. iu. li vi

Epiſcopus diſcutiat Clericos, quomodo ordinem baptiſmi teneant, vel miſſarum, vel qualiter quæcunque officia in eccleſia peragant. x. q. i. c. placuit, & an Parochus in conferendo ſacramento baptiſmi ſeruet omnia, quę conſtituta ſunt in Conc Trid. Seſſ. 24. c. docet. §. volens, & ibi etiam. §. Parochus, & an habeat librũ, & ibi deſcribat nomina, &c & denunciet, &c. et omnia alia faciat prout ibi.

Inquirat etiam an teneant Eccleſias, altaria, ac Euchariſtiã, & alia ſacramenta, vaſa, ſacra nec non pro ſanctis oleis, et quo modo deferãt infirmis, et alia ſimilia mũda, et clauſa, quæ claudi debent c. 1. & 2. de cuſto. Eucha. et c. vt ſciat de offi. ſacri. et c. cuſtos, et ſequen. de offi. cuſto. et c. ſanè de celeb. miſſa, et in d. Conc. Seſſ. 13. c. conſuetudo.

Et an Sacriſta, et alii miniſtri Eccleſiarũ vaſa, veſtimenta, et alias res vel ornamenta Eccleſiæ, vel alia diuino cultui dedicata, et ſimilia bene cuſtodierint, vel aliqua ex eis diminuta fuerint c. 1. de off. ſacri. et c. 1. de off. cuſto. et c. ea quæ de off. Archi. et 25. diſt. perlectis, vbi plurima notanda habẽtur in Clem. graui. §. multis, et ſequen. de celeb. miſſa.

Inquirat Epiſcopus de vita, et conuerſatione miniſtrantium in Eccleſiis, et locis aliis diuino cultui deputatis, et de cæteris, quæ ad ipſorum officium ſpectãt, abſque coactione, et exactione qualibet iuramẽti, quæ ad ipſorum emẽdationẽ per ſalubria monita, nunc leuia, nunc aſpera, iuxta datam ſibi à Deo prudẽtiã, diligenter intẽdens. c. Romana. §. ſanè de cenſibus lib. vi.

Inquirat etiam Episcopus an Clerici horas canonicas in Ec-
clesiis dignè celebrēt, ac persoluant c. dolentes de celebr. mis
sar. & in Cle. graui eod. tit. Et animaduertēdum est, & bene,
quòd distributiones quotidianas tantum qui statutis horis in-
terfuerint, recipiant; reliqui quauis collusione, aut remissione
his careāt. Qui verò aliter de distributionibus quicquā recepe
rint, exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta, & rationabilis cor
poralis necessitas; aut eiusdem Ecclesiæ vtilitas excusaret, re
rum sic receptarū dominium nō acquirant, nec faciant eas suas;
immò ad omnium restitutionem teneantur c. consuetudinē de
Cler. non resident. lib. 6. & in d. Conc. Sess. 24. c. cum digni
tates. §. distributiones verò.

Inquirat etiam Episcopus quomodo Sacerdotes ordinem
missarum teneant d. c. placuit, & an celebrent eas deuotè,
studiosè, et reuerenter, iuxta ritum, & cærimonias missalis editi
sub fœlicis recordationis Pio V. & prout sanctissimé, & am-
plé constitutum est in d. Conc. Trid. Sess. 22. c. quanta cura,
& Sess. 25. c. cum catholica: et an celebrent missas in Orato-
riis, et aliis locis non consecratis contra determinationem sacro
rum canonum, de consecr. dist. 1. c. 1. & ibi pluribus rationibus,
& c. sicut non alii, & c. missarum solēnia, & c. hic ergo, & c.
clericos ibidem, & in d. Conc. Trident. Sess. 22. c. quanta cu
ra §. neminem.

Episcopus etiam exquirat, quomodo vna quæquè basilica
in reparatione sui indigeat, & redditus earum, & ministrantiū
vitam inquirat x. q. 1. c. Episcopum. Curetquè Episcopus, vt
quæ reparatione indigent aut restauratione reficiātur d. Cōc.
Sess. 21. c. quæcunquè. §. curent iidem Episcopi.

Inquirat etiam Episcopus an Clerici tonsuram, & habitū de
centē deferant, et de omnibus aliis, quæ omnino vide in c. Cle-
rici . . de vita, & honestate cleri. & in clem. quoniā eod. tit.
. . . sub censuris, & pœnis seruanda sunt, et in d. Cōcil.
. . . via verò, & Sess. 22. c. nihil est. §. cum igitur.
. . . tiam Episcopus de honestate, & moribus Cleri-
. . . quis Clericus habeat concubinam, aut ei cohabi-

tet, vel extra domum suis expensis teneat, vel ad aliquam ac cedat, vel ad se venire faciat, vel cum aliqua suspecta muliere consortiú, & colloquium habeat c.1.2.3.& sequen.de cohabi. cleri. & muli. & in d. Conc. Sess. 14.c. cú proprie, & Sess. 25. c. quam turpe. Notandum tamen est, quòd quilibet clericus concubinarius, seu fornicator notorius per sententiam, seu con fessionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuer satione aliqua celari non possit, est ipso iure suspensus c. quæsi tum de cohabi. cleri. & muli. et dist. 32. præter hęc, et dist. 80. si qui, & si celebrauerit durante dicta suspensione est irre gularis c. is cui de sen.exco. lib.6. Abb. in c. vestra de cohabi. cleri & muli. diuus Antoninus in tertia parte summæ tit. 27. de suspensione c. notorius fornicator, et nullus potest cum tali dispensare nisi solus Papa c. 1. de sen. & re iudi. lib. 6. & c. cum medicinalis §. caueant de sent. exco. codé libro; & Innocent. in c. cum æterni de re iudi. & diuus Antoninus, vbi supra.

Monebit præterea Episcopus suos Clericos in quocunque ordine fuerint, vt conuersatione, sermone, & scientia commis so sibi Dei populo præeant, memores eius, quod scriptú est, san cti estote, quia, & ego sanctus sum, et iuxta apostoli vocem, ne mini dent vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium eorú, sed in omnibus se exhibeant sicut ministros Dei d. Conc. Sess. 14 c. cum proprie. §. monebunt.

Inquirat etiam an aliquis Clericus exerceat vsuras 46. dist. non licet, et c. quoniam, et c. plures Clericos, et c. præterea de vsur. & c. Clerici il primo de vita, et honestate cleri. et si qué aleatorem, & alia inhonesta exercentem inueniret c. Clerici il secondo de vit. et honest. cleri. vel alienatorem rei Ecclesiasti cæ 12. q. 2. c. monemus, & sequen. & c. nulli liceat, de reb. ec cle. non alie. Nec non in constitutione Pauli secundi, quæ inci pit Ambitiosæ cupiditati eodem tit. vel rem ecclesiasticá v surpantem, dissipantem, dilapidantem, & consumantem Siracusana 7. q. 1. c. qui ea, & c. fin. de accusat.

Inquirat etiam Episcopus si Archipresbyteri, quicunque Parochi, vel aliás curam animarum hab.

ſias quocunque modo obtinentes per ſe, vel per alios idoneos ſi legitimè impediti fuerint, ſaltem diebus dominicis, et feſtis ſolēnibus plebes ſibi cōmiſſas pro ſe, & earum capacitate ſalutaribus verbis paſcant, prout in d. Conc. Seſſ. 5. c. docētes. §. Archipresbyteri, et Seſſ. 24. c. prædicationis. §. in aliis.

Inquirat etiam Epiſcopus, an Rectores Eccleſiarum Parochialium ſaltem Dominicis, & aliis feſtiuis diebus pueros in ſingulis parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deū, & parentes diligenter doceant d. c. prædicationis. §. idē etiā.

Item ſatis opportunum videtur, vt Epiſcopus inquirat quos libros penes ſe habeant prædicti Archipresbyteri, Plebani, et Parochi, cum ſatis neceſſarium videatur, vt vnus quiſque habeat ſaltem Bibliam, Catechiſmum, Homiliariū ſanctorum, vel alios expoſitores probos ſuper euangelia: librum quem vocant defecerunt, Beati Antonini, ſummam Syluestrinam, ſiuè Tabienam, Manipulum curatorum, & ſi habeant, edictum cōtra vſurarios impreſſum, & publicatum, & ſimiliter conſtitutiones Synodales: & non habentes puniantur iuxta formam cōtentam in eis: & ſimiliter ſi non publicauerint publicanda, prout in dictis edicto, & conſtitutionibus quibus operam dantes poſſint monere, docere, & inſtruere diebus ſupradictis populos ſibi ſubiectos, & vt audiendo confeſſiones ſciant diſcernere inter lepram, & lepram, & infundere vinum, & oleum: quomodo ſe habere debeant circa curam animarum, & adminiſtrationem ſacramentorum, & ſi habeant penes ſe Bullam in die cœnæ Domini legi conſuetam, conſtitutiones ſynodales, vel alias ordinationes, & edicta Epiſcopi publicata, & impreſſioni data.

Inquirat etiam Epiſcopus, an Archipresbyteri, & alii ſupra nominati plura beneficia incompatibilia teneant c. ordinarii de offi. ordi. lib. 6. cum hoc minimè liceat, c. de multa. de præben. & Conc. Triden. Seſſ. 24. c. cum eccleſiaſticus ordo, et d. Conc. Seſſ. 7. c. quicunque, & c. ſequen. & Seſſ. 24. c. cum eccleſiaſticus §. illo vero.

Inquirat etiam Epiſcopus an Clerici curam animarum ha-

bentes, vel alias qui in suis beneficiis residere tenentur, residëat c. conquerente. c. ex parte il primo, c. ex tuæ [illegible], & c. Clericos de Cler. non resi: & d. Conc. Sess. 6. c. Episcopis inferiores, & Sess. 23. c. cũ præcepto diuino. §. eadem omnino.

Inquirat item si parochi quilibet seruant decreta Concilii super celebratione matrimonii, prout habetur in d. Concilio Sess. 24. c. tametsi: si habeant librum, in quo coniugum, & testium nomina describant, & si cætera exequantur, prout ibi iuxta traditionem à nobis editam in vulgari sermone, per omnes parochiales ecclesias in nostra Diœcesi.

Et si Parochi in vnaquaque Ecclesia parochiali habeant cõfessionalia, quibus singulis affixum sit transumptum Bullæ prædictæ Sanctissimi D. N. Papæ in die cœnæ Domini legi cõsuetæ; & casus episcopales, ac forma absolutionis à censuris, & peccatis.

Et quoniam ad Episcopos pertinet plebes docere, vt errores idolorum fugiant, vel diuersa crimina, idest homicidium adulterium, periurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera d. c. placuit. x. q. i.

Nec non ad corrigendum subditorum excessus prudenter, ac diligenter intendere d. Concilio Sess. 6. c. Ecclesiarum Prælati.

Episcopus itaque inquirat de hæreticis, vbi fama fuerit eos habitare. c. excommunicamus il primo. c. adiicimus de hæreticis cũ similibus, & c. vt inquisitionis eod. tit. lib. 6. & in clem. multorum. §. propter, & §. verũ, il secõdo eodem titulo & d. Conc. Sess. 24. c. Patriarchæ. §. visitationẽ, & Sess. 25. c. tanta.

Inquirat etiam Episcopus de incantatoribus, & sortilegiis. 26. q. 5. c. Auguriis, et c. Episcopi. c. I. de sortilegiis, & sequẽ. de sacrilegio. c. Ad aures, & c. in quibusdam de pœnis.

Inquirat etiam Episcopus de simonia. c. dilectus, il secondo, cum similibus de simonia, & constitutione Vrbani iiii. quæ incipit sanè, & constitutione Pauli ii. quæ incipit cum detestabile, de simonia, & cõstitutione Martini quinti, quæ incipit multæ, edita in Concilio Constantiensi eod. tit. & in d. Concilio

Sess. 24. c. in pluribus, vbi expressè mãdatur Episcopis, vt quã plurima ibi expressè notata, quæ simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspitionem habent, fieri non permittant. Et licet de his principalibus Episcopus debeat inquirere, & punire; ad ipsum nihilominus spectat de quocunque alio peccato mortali corripere quemlibet christianum, & si correctionem contempserit, per distractionem ecclesiasticã coercere c. nouit. §. nõ igitur de Iudiciis.

Inquirat etiã Episcopus de publicis blasphematoribus. c. statuimus de maledicis, & vt in Bulla fœlicis record. Pii quinti, & bene animaduertat Episcopus omnia, & singula, quæ in d. c. & Bulla continentur.

Ad Episcopum pertinet etiam inquirere de consanguinitate, & affinitate in gradibus prohibitis inter virum, et vxorẽ. 3. q. iiii. c. consanguineorum: & meminerint Episcopi, quòd tales sic scienter coniuncti sunt excommunicati, & debent ab inuicẽ separari, vt in Clem. eos de consang. & affin.

Inquirat etiam Episcopus in sua visitatione adulteria, & scelera, tunc cum frequens, & clamosa fama est contra subditum, eaque vlciscatur, & iudicet c. perniciosa de offi. iud. ord. necnon sæculares concubinarios tàm solutos, quàm vxoratos d. Conc. Sess. 24. c. graue peccatum, et eos corrigat, & puniat prout ibi.

Inquirat etiam Episcopus contra vsurarios sæculares quoscunque, 14. q. 4. c. nec hoc, et c. quoniam, et extra. c. præterea, et c. quàm perniciosum, & seque. de vsur. & c. vsurarũ. §. cæterum eod. tit. lib. 6.

Inquirat etiam Episcopus à Parochis an eorum parochiani saltem semel in anno peccata sua cõfiteantur, & sacramentum Eucharistiæ in paschate recipiant, c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. et de hac materia vide in d. Conc. Sess. 14. c. ex institutione: et contra facientes puniri debent, vt in d. c. omnis vtriusque sexus. Suadere etiam & modis omnibus hortari Episcopus debet oẽs, vt non tantum semel in anno, sed vt persæpè deuotè cõfiteantur peccata sua, & humiliter, et reueren

 ter,

ter,, suscipiant sacramentum Eucharistiæ de consec. dist. 2. c. si quis intrat. et c. sæculares, et doceat illos, vt quod nolunt sibi fieri, alteri ne faciant, et vt credant resurrectionem omnium, & diem iudicii, in quo vnusquisque secundum opera sua recepturus sit, dicto c. placuit. x. q. i.

Inquirat etiam Episcopus an sæculares suæ Diœcesis veniāt ad missas diebus Dominicis prout tenentur, de consec. distin. i. c. Missas.

Moneat etiam in visitatione Episcopus populos, vt frequenter ad suas parochias saltem diebus Dominicis, et maioribus festis accedant, ut dicitur in d. Conc. Triden. Sess. 24. c. quanta cura, § moneat.

Inquirat etiam Episcopus, an sanctimoniales, quæ sub eius cura degunt, saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum suorum faciāt, et sacrosanctum Eucharistiæ sacramētum suscipiant d. Conc. Sess. 25. c. attendant.

Inquirat Episcopus quomodo Hospitalia quæcunquè ab administratoribus quocunquè illi nomine censeantur, et quomodolibet exemptis fideliter diligenterquè gubernentur seruata forma constitutionis quia contingit, Clementis quinti de religi. domi. & dicti Conc. Sess. 7. c. Curent Ordinarii.

Inquirat quoque Episcopus, an hospitalarii, seu administratores quocunque nomine censeantur singulis annis rationē de administratione sua reddant d. Clem. qui i contingit. §. ut autem de religi. domi. prout tenentur coram suo Episcopo, et d. Conc. Sess. 22. c. Administratores.

Inquirat etiam Episcopus si hospitalarii, aut alii, qui obtinēt loca ad peregrinorum, et egenorum vsum instituta, munus suum diligenter exerceant d. Conc. Sess. 25. c. admonet. §. il lis vero.

Inquirat etiam Episcopus an Moniales, quæ sibi subsunt, bona immobilia, vel mobilia teneant, vel possideant contra d. Conc. formam Sess. 25. c. nemini, & an ab eis seruentur decreta sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri D. Gregorii xiii.

Anima-

Animaduertat nihilominus Episcopus visitans, quòd in primis coarguere, obsecrare, et increpare debet in genere, iuxta illud apostoli ad Timotheum in secunda epistola, vers. prædica, &c. et apud Titum, c. 2. et vt in c. si sacerdos de offi. Ordi. in specie verò seorsum, et in secreto, iuxta illud euangelii Matthæi c. 18. si peccauerit in te frater tuus.

Sed diligenter aduertat Episcopus, vt si quid sinistrum de aliquo ecclesiastico audiat, eum instruat, & quòd non debet re incognita, contra illos accendi dist 86. c si quid verò, et xi. q. iiii. c. in cunctis.

Non enim debet delectari Episcopus infamia subditorum dist. 96. in scripturis et. c. licet. §. ne autem de accusat.

Meminerit quoquè Episcopus in visitatione se pastorem, non percussorem esse, atque ita præesse sibi subditis opportere, ut non eis dominetur, sed illos tanquam filios, et fratres diligat. Elaboretquè, vt hortando, et monendo, ab illicitis deterreat, ne vbi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogatur d. conc. Sess 13 c. eadem sancta per totum.

Meminerit etiam Episcopus, quòd melius est reddere rationem de misericordia, quàm de seueritate 26. q. 7. c. alligāt et i. q. 7. c. dispēsationes, et d. Concilio Sess. 13, c. eadem sancta. §. sin autem.

Sciat nihilominus quilibet visitator sibi opus non esse, vt de omnibus supradictis inquirat singulos clericos, et parochos siue sæculares; sed de omnibus, et singulis prædictis debet inquirere, monere, emendare, corrigere, et punire, quando opportunum, et necessarium fuerit, pro locorum, temporum, & personarum qualitate pensata. Argu. dist. 4. erit autem lex, et d. Conc. Sess. 24. c. Patriarchæ. §. Visitationum, iuxta prudentiam sibi à Deo datam.

Laus Deo Opt. Max.

CONSTITVTIONES SYNODI ARIMINENSIS PRIMÆ

Ab Illustrissimo, & Reuerendiss.

D. ANGELO CÆSIO

eiusdem Ciuitatis Episcopo

celebratæ

XIX. XVIII. & XVII. Kal. Iun.

M.D.C.XXX.



ARIMINI, Per Io: Symbenium.

ANGELVS CÆSIVS

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Ariminensis Ecclesiæ Episcopus, Capitulo, & vniuerso Clero nostræ Ciuitatis, ac Diœcesis Salutem in Domino.



Onstitutiones, quæ anno superiori in prima nostra Synodo sancitæ sunt, post ipsam Synodicam actionem euulgare statim, erat Nobis constitutum. Sed multa, eaq́ gratia, negotia consilium hucusq́ prorogarunt. Eas nunc publicamus. serius quidem, quàm erat in optatis. Tamen satis opportunè, ac maturè editas existimabimus: si ea promptitudine, animiq́ alacritate, qua iam à vobis collaudata, ac receptæ sunt, fideliter, & exactè mandabuntur executioni. qua nihil optatius, aut gratius Nobis accidere potest. Id igitur, vt fiat, vos etiam atq́ etiam obnixe rogamus, & obtestamur. Illud insuper admonentes, vt hæc decreta, non tanquam hominis: sed, sicuti verè sunt, tanquàm mandata ipsius Dei, excipiatis. Qui omnibus quidem, sed præcipuè nobis Sacerdotibus mandauit, mandata sua custodiri nimis. Et vtinam, carißimi fratres, dirigantur viæ vestræ ad custodiendas iustificationes eius in omni tempore.

Valete.

De Fide, & eius Professione. Titulus Primus.

1 VAldè profectò indecorum est, eos, qui erudiendorum in fide populorum ministri, ac præceptores esse debent, eamdem fidem ipsos non esse antea professos; Idcircò ea, quæ tàm sanctè à Sac. Conc. Tridentino decreta sunt, Nos exequi omni studio cupientes, eiusdem auctoritate innixi, mandamus: vt cũs de Beneficijs Ecclesiasticis, nõ modò curam animarum habentibus, verum etiam simplicibus quibuscũquè prouisi, qui fidei professionem adhuc in aliqua Synodo non emiserunt, in præsenti, si adsunt, emittant verbis certa forma à fel. recor. Pio iiij. Summo Pontifice præscriptis. Idemq; præstent in alijs Synodis ij, qui aut propter absentiam in hac non emiserint: aut aliqua beneficia post hanc vsq; ad aliam Synodum celebrandam impetrauerint. *ad c. 2. t. 1 Syn. 1 Cast. f. 69.* *sess. 24. ca. 12. de ref.*

2 Similemq; Fidei professionem Clerici, tàm de beneficio curato prouisi, vt in decreto claræ mem: Episc. Castellij Prædecessoris nostri sancitũ est, quã de simplici, coram Nobis emittant. per se quidẽ ipsi, si præsentes sunt, aut per specialem procuratorem, si absint: Quam tamen postea ipsimet profiteantur, quamprimum Ariminum sese contulerint. etiã si aliàs quacumq; de causa eamdem professionem publicè emiserint. *cap. 2. tit. 1. Syn. 1. f. 69*

3 Prouisi autem de Dignitatibus, Canonicatibus, aut beneficijs in Cathedrali nostra, non solùm corã Nobis, seù Vicario nostro Generali, sed etiam in Capitulo, idem facere teneantur.

4 Quam etiam Professionem emittant omnes nō modò Grammaticam docentes, vt ab Episcopo Castellio ibidem decretum est: sed etiam ipsa prima literarum rudimenta tradentes. etiam si pedagogi sint, vel quamcumq; aliam facultatem docentes ante, quā docere incipiant. Et intra mensem cum dimidio, qui iam actu docent.

ad c. 1. t. 1. Syn. 1 Cast. f. 69.

5 Quapropter Parochi nomina omnium intra suam Parochiam degentium, qui has facultates docent, intra mensem à promulgatione horum Decretorum ad Nos deferant, eosq; interim moneant, vt quamprimum ad Nos accedant, Fidem iuxtà præscriptum professuri. Qui intra quindecim dies sequentes talis professionis non exhibuerint testimonium, docendi, & legendi munere à Curatis tandiù prohibeantur: donec scripto, per manus cancellarij nostri gratis dando, eam se emisisse, docuerint.

6 Nomina autem illorum, qui extra Synodum fidei professionem emiserint, in librum in Episcopali archiuio perpetuò seruandum, diligenter, & ordinatè referantur. per notarios nostræ Curiæ de ea rogatos; adhibitis duobus, vel tribus testibus cum subscriptione profitentis ad perpetuam rei memoriam.

7 Inuigilent præterea Parochi, an in suis parochijs aliquis reperiatur de quacūq; heresi suspectus, cuius verba, & actiones, ipsum de Sancta Fide Catholica non omninò rectè sentire, aliqua ex parte demonstrent, & ad Nos statim, vel ad Officium Sanctissimæ Inquisitionis deferant.

De Do-

De Doctrina Christiana. Tit. 2.

1 QVoniam Doctrina Christiana primum est Fidei nostræ, vitæq; spiritualis fundamẽtum, eamq; docere proprium Parochi munus; idcircò præter ea, quæ à Prædecessoribus nostris decreta sunt: quæ omnia diligenter seruari mandamus: addimus insuper, vt animarum Curatores quicumq; sedulò curent: vt pueri omnes suæ curæ subiecti ad eam addiscendam conueniant. qua in re ne falli possint, ex libro status animarum nomina omnium puerorum, ac puellarum suæ curæ describant. & singulis festis vnumquemq; ex indice recognoscant. pertinaces aũt ad Nos deferant, qui opportunè mulctis, & pœnis prouidebimus. *ad c. 1: t. 1. Syn. 1. Pano. fol. 11.*

2 Iidem præterea Curati, siuè in oppidis, siuè in vicis sint, plures homines, ac mulieres deligere studeant charitate feruentes, & auctoritate graues, qui pro sua pietate onus, ac sollicitudinem suscipiant, pueros inuitandi, & stata hora perducendi ad Ecclesiam, vbi à Magistris Doctrinam, & Fidei rudimenta doceantur: ijdemq; Curati in Ecclesia singulis officia distribuant; vt alij in dirigẽdis pueris, puellisvè in suas classes, alij in ijs in officio continendis occupentur; & reliqua omnia obeundo, quæ ad perfectæ, & benedirectæ scholæ disciplinam sunt necessaria, opus adeò laudabile diligenter perficiant: eosdẽ etiã, vti operarios, in hac sancta exercitatione viros ac mulieres adscribi curent. vt participes reddantur Indulgentiarum, quę à Sum. Pontificibus ijs sunt elargitę.

3 In Oppidis verò vbi frequens est populus, & vbi plures Ecclesiæ, siuè Oratoria sunt, diuidantur scholæ, vt in vnã conueniant viri ad docẽdos pueros;

ad quam etiam Ecclesiastici omnes accedant; in aliā verò mulieres pro puellis.

ad c. 2. t. 1. Sy. 1 Pauo. fol. 12.

4 Inuigilent autem Curati omnes Diœcesis, in quorum Ecclesijs habetur huius Sanctæ Doctrinæ schola; ne, dum in Ecclesia in hanc sanctam exercitationem incumbitur, ludi habeantur publici in vlla parte Parochiæ.

5 Pariterq; in Diœcesi, vbi omnes in eamdem Ecclesiam conuenire debent, pueri distinctis temporibus, & hora, aut saltem sedibus, a puellis, doceantur, omnesq; Parochi festis quibusq; diebus, dato per dimidium horæ campanæ signo, ad pueros conuocandos, per aliam integram horam ipsi per se doceant eos, qui conuenerint; etiam si pauci sint. imò nullo etiam comparente ipsi absq; vrgenti causa ab Ecclesia non discedant; nisi eo temporis spatio absoluto, sub pœna quinque aureorum.

6 In posterum nullus proponatur Doctrinæ liber ediscendus, nisi is, quem olim iussu Clementis VIII. Cardinalis Bellarminus edidit.

7 Vt autem nulla diligentia, nullumq; studium prætermittatur ad hanc tam necessariam doctrinam in fidelium mentibus imprimendam: omnibus Parochis, quibus post exquisitam sollicitudinem præstitam non contingit, vt pueri (& fortassis etiam propter iusta impedimenta) conueniant hora scholæ: præcipimus: vt diebus festis in Missa vnum, aut alterum caput legant populo, & interpretentur explicationis eiusdem Doctrinæ Cardinalis Bellarmini; exceptis tamen diebus Natiuitatis D. N. Dominicę Palmarum, & Sanctissimæ Resurrectionis. Nec tamen Parochos ob id eximimus ab ea obligatione: vt non teneantur omni cura, monendo, & increpando, pueros, stata hora quacumq; ratione trahere ad

edíscen-

ediſcendam Doctrinam, ipſiq; cum ſuis adiutoribus eam docere. Idq; ſub pœna ſuſpenſionis.

De Prædicatione Verbi Dei. Titulus Tertius.

1 VErbi Dei prędicatio animę pabulum eſt, non minus illi neceſſarium, quam cibus corpori; propterea Parochi, & quicũque animarum curatores gregem ſibi commiſſum diuino Verbo paſcere iubentur. Quare ex Concilij Tridentini præſcripto ſingulis dominicis, & feſtis diebus populis ſuis prædicent, aut Euangelium explicando, aut aliquam Cathechiſmi partem in vulgarem linguam conuerſi legendo, aut aliquem pium ſermonem feſto diei illius conuenientem memoriter vel ſaltem de ſcripto pronunciãdo. qui ſecus egerint, præter diuini iudicij interminationem alias pænas à noſtris Prædeceſſoribus ſtatutas, & etiam grauiores, ſciant, ſe Nobis daturos.

ad c. 18. t. 5. Sy. 1. Ca. f. 97.

ſeſſ. 5. cap. 2. de ref.

Par. tit. 10 c. 10. n. 2. f. 44.

2 Parochi Diœceſis, in quorum Eccleſijs tempore quadrageſimali, & aduentus concio haberi non conſueuit, hortentur populos: vt ad proximiores prædicationes audiendas eo tempore accedãt. ipſiq; tamen partes ſuas deſiderari non permittant.

3 Prædicatores, quos poſthac mittemus, antea ſe Nobis præſentent. vt de populi neceſſitatibus admoneãtur, quo animarum vulneribus opportunã nouerint adhibere medicinam. In prædicationis progreſſu monita ſeruent, quæ iuſſu Prædeceſſorum noſtrorũ typis impreſſa ſunt: donec alia à Nobis promulgentur. Eadem verò prędicatione abſoluta iterum compareant operis ſui fructum expoſituri: Et Nos ſi quid

in grege sit, quod nostra correctione indigeat, aut diligentia, admonituri.

De Sacris Reliquijs Tit. Quartus

1 NE circa Sacrarum Reliquiarum venerationem aliquis possit error contingere: mandamus, ne quisquã nouas Reliquias vllo modo exponat. nisi fuerint à Nobis, & recognitæ, & approbatæ.

De Repræsentationibus. Titulus Quintus.

1 REpræsentationes rerum, etiam sacrarum nullo modo fiant in foribus, aut in via præsertim verò occasione processionum, vt optimè decretum est ab Episcopo Salicinio. Sed ne actiones etiam quæcumq; siuè sacræ sint, siuè profanæ, vllo in loco, neq; publico, nequè priuato, sine nostra, aut Deputati à Nobis licentia, & approbatione, repræsententur.

ad c. 3. tit. 1. Sy. 3. Sal: fol. 218.

2 Similiter ne scenico apparatu Dominica passio, aut Sanctorum martyria, & actiones, neq; in sacro, neque in profano loco sine nostra licentia referãtur.

De Festorum dierũ obseruatione Titulus Sextus.

1 FEstis diebus ad seruiendum Deo, bonorum omniũ largitori, institutis, qui eiusdem Dei, Sanctorumq; laudibus, diuinis officijs, cõ-

cionibus,

cionibus, doctrinæq; christianæ dari à fidelibus debent, turpe est, ad diuinam offensionem, Sanctorum contemptum, propriæquè animæ perniciem abuti. Quarè sedulò aduertant Parochi, ne prauæ consuetudines circa ipsos sanctos dies inducantur. Et si qui sunt in eorum obseruatione perniciosi abusus; præcipuè verò si in aliquibus celebritatibus propter frequentiorem populi concursum, impediri choreæ, mercatus, aut ludi non possunt, Nobis referant, vt festa illa, aut in aliam diem transferri curemus, iuxta præscriptum: aut aliud pro oportunitate remedium adhibeamus. *Cast. Sy. 1. t. 1. c. 11. fol. 73.*

2 Iidem Parochi sæpè ad Altare moneant patresfamilias: vt filios, famulosq; quos in pascendis gregibus occupant, Missæ sacro, & doctrinæ christianæ scholæ interesse non modo permittant; sed omninò curent. qua in re si aliquos viderint negligentiores: ad Nos deferant; vt eos pœnis grauioribus compellamus. *ad cap. 11. t. 6. Syn. 1. Cast. f. 102*

3 Choreas etiam, quæ diebus festis præsertim exercentur, nunquam cessent detestari, moneantq; eos, qui non abstinuerint, pœnas non solùm a Prædecessoribus nostris præscriptas Nobis daturos; sed etiam in pœnam decem aureorum damnandos esse, qui ministerium suum præstant sonando, siuè tripudijs dirigendis præsunt, siuè domum, locumvè accõmodant. contra quos procedetur etiam per denunciationem, aut accusationem, siuè etiam ex officio. & accusatori tertia pars pœnæ applicabitur. *Cast. Sy 3. t. 10. c. 8. f. 171. & Par. 1. & 3. f. 12.*

4 Cæterum omnia opera seruilia iuri diuino inhærentes prohibemus, quapropter apothecæ omnes & quorumcumq; artificum officinæ diebus festis omninò clausæ sint.

5 Attamen propter necessitatem humani victus

permittimus Macellarijs: vt panno, aut tela ante officinam, & carnes extensa vsque ad signum Cathedralis campanæ, quo Canonici nostri ad Missam Cõuentualem vocantur, carnes vendant; & postquam vespertina officia completa fuerint: paruo tantùm ostiolo aperto eas diuendere possint.

id c. 1. t. 9 Pau. f. 36.

6 Molitoribus etiam frumenti, & olearum, vt ex vrgenti necessitate molere possint die festo, & eodem tempore asportare, etiam intra Ciuitatem frumentum, farinam, & alia victualia post missam cum licentia.

7 Liceat etiam ijsdem diebus dare operam rebus ad victum necessarijs, ac tempore perituris: præsertim tempore vindemiarum, & messium, ac recollectionis fructuum. vel vbi necessitas vrgeat; aut pietas suadeat. cum licentia tamen, prout in Synodo Episcopi Pauonij.

vbi suprà.

8 Agasonibus, & alijs iumentorũ directoribus, seù mercium conductoribus, baiulis, & alijs huiusmodi seruientibus, ac ministris, sarcinas, & onera, nundinarum causa, exonerare, & deponere, inceptũq; iter, missa tamen priùs audita, transeundo prosequi, & continuare, non autem de nouo sarcinas componere, & iumenta onerare, ad iter incipiendum.

9 Permittimus etiam, vt ad victum necessaria, & quæ spectant ad edulia, vt panis, herbæ, fructus, lacticinia, coctæ carnes, vinum, & alia minuscula, ac modici momenti, opere iam conflata, & elaborata, impunè vendantur post missam auditam, pro transeuntium hospitum, aduenarum, & exterorum vrgẽti, & præsentanea necessitate, ac opportunitate. exceptis tamen maioribus, ac solemnioribus anni festiuitatibus, quales sunt dies Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Do-

mini, Assumptionis B. Virginis, & omniũ Sanctorũ.

10 Aromatarijs similiter, & pharmacopolis indulgemus, vt quæ pro ægrotorum cura, aut alias necessaria sunt, liberè vendant. paruulo tamen ostiolo dumtaxat aperto.

11 Salsamentarijs etiam, qui Tricoli apud nos appellantur, propè plateam maiorem officinam habentibus permittimus, vt vni eorum per vicem liceat, festis diebus, aperto ostio, vt moris est, vendere; alijs extra forum vsque ad sonum campanæ pro missa conuentuali: In Diœcesi vsq; ad parochialem, & his omnibus etiam post Vesperas, solo tamen ostiolo aperto.

12 Ferramentarijs quoque liceat itinerantium equos, aut etiam hospitum, stabulariorumq; nostræ Ciuitatis, meritorios, cum necesse fuerit calceare, & aliorum etiam quorumcumque in casibus necessarijs, ex improuiso contingentibus.

13 Iudicia omnia sileant, nisi in casibus à iure permissis, qui moram, & dilationem non patiuntur, & etiam quo ad Iudices nundinarum, nisi habeant priuilegium Apostolicum.

14 Nundinæ, & mercatus prohibentur diebus festis, nisi priuilegio Apostolico aliquid expressè fuerit concessum.

De vigilijs, & earum obseruatione. Titulus Septimus.

1 PArochi omnes, seù quicumq; animarum curatores, quolibet die Dominico inter missarum solemnia denuncient ieiunia, quæ in ea hebdomada seruanda sunt, doceantquè populum

ieiu-

ieiuniorum dies Deo acceptabiles esse, atq; ad carnis macerationem, & extirpanda vitia institutos, in quibus fideles pro delictis orare, & Sanctorum præsidia implorare operę pretium est.

2 Potissimum verò in Dominica Quinquagesimę præceptum, & ratio quadragesimalis Ieiunij explicetur, populusq; moneantur, nullo modo illud esse violandum, nisi ob veram, & iustam causam à Superiore Ecclesiastico probandam ad præscriptum bannimentorum.

De Sacramentis in genere. Titulus Octauus.

d c. 4. t. 1. Pau. f. 13.

1 IN omnium Sacramentorum administratione, sicut in reliquis Ecclesiasticis functionibus, ritus, & ceremoniæ in nouo Rituali Romano pręscriptæ adamussim obseruetur. quem librũ, vt Curati omnes habeant, Vicarius foraneus curabit.

d c. 21. t. 1. Syn. Cast. f. 77.

2 Sacerdos quodcumq; Sacramentum ministraturus præter cætera, quæ præstare debet, vulgari, & plano sermone vim declaret eius sacramenti, quod ministrare parat; ac fructum exponat, qui dignè suscipientibus confertur; quamq; piè, ac reuerenter accedere quisq: debet, ad Sacramentorum perceptionem, erudiat. curetq; vt tota illa actio eos, qui adsũt ad deuotionem incitet, ac inflammet.

3 Sæpè item Parochi populos suos moneant, vt pœnitentiæ sacramentum, & communionis frequẽtent, ex Concilij Tridentini decreto.

d c. 1. t. 2. Syn. 1. Cast. f. 79.

4 Cathedralis Ecclesiæ Sacrista minor librum habeat, in quo ij, qui Olea sacra receperunt propria manu se recepisse, testentur, Idemque seruetur, ab

Archi-

Archipresbyteris, dum Ecclesijs quibuscumq; tàm sęcularibus, quàm Regularibus in suo plebanatu existentibus, distribuunt. quibus solis impertiant: illiq; à sua tantùm plebe recipiant.

De Sacramento Baptismi. Titulus Nonus.

1 QVÆ à Prædecessoribus nostris de forma baptisterij sancita sunt, si hactenus non fuerint executioni demandata, intrà mē sem inuiolatè mandentur, nisi à Nobis aliud tempus in Visitatione iam fuerit assignatum, illudq; itá decorum, quoad fieri potest conseruetur, vt nullum munditiæ, aut nitoris genus in eo desideretur. *ad c. 1. t. 2. Sy. 1. Cast. f. 77.*

2 Caueat Sacerdos baptizans, ne iterum baptizando eum, qui ritè sit baptizatus pœnam irregularitatis ex Cathechismo, & etiam excōmunicationis, ac depositionis ex sac. canonibus, incurrat, aut non baptizatum tàm necessario sacramento defraudet.

3 Baptizandis nomina Sanctorum tantùm imponi percupimus. in quo veram baptizantium diligentiam requirimus, atq; adeò ipsis districtè præcipiendo mandamus, ne posthac gentilium, vel paganorū nomina infantibus permittant imponi. sed eorū tantumodo Sanctorum, qui ab Ecclesia celebrantur: Ea verò nomina nunquam amplius ipsis immutentur. quod sæpiùs ad altare populo inculcetur. *ad c. 2. t. 4. Sy. 2. Sal. f. 105.*

De Sacramento Confirmationis. Titulus Decimus.

1 COnfirmationem doceant Parochi esse Sacramentum, quo Christiani, facti iam per baptismales aquas filij Dei, & fratres, cohæredesq; Iesu Christi, in tutelam Spiritus Sancti recipiuntur, induunturq; virtute ex alto, vt robusti, & fortes in bello stare, ac pugnare possint contra inuisibilem hostem, qui acceptam primitus gratiam illis nunquam non inuidet: Quare fideles tantum beneficiũ agnoscentes, reuerenter suscipiant ad quod vt religiosius disponantur, confirmandi oẽs (saltem adulti) antequam ad hoc sacramentum accedant, peccata sua confiteantur, eiusq; rei afferant scriptum a parocho testimoniũ. nisi enim hoc, & alia à Castellio præscripta attulerint: nullus admittetur ad sacramenti huius susceptionem. & si hoc curati negligentia euenerit, grauiter punietur. *Cast. Sy. 1. t. 3. c. vn. f. 83.*

De Eucharistiæ Sacramento. Titulus Vndecimus.

1 SAcrosanctum Eucharistiæ Sacramentum intra tabernaculum ligneum custodiatur, & in pixide, cuius cuppa sit ex argento, & intus deaurata, cum corporali in fundo tabernaculi subtus pixidem posito, quod pluries in anno permutetur, non tamen intra pixidem. *ad c. 1. t. 4. Sy. 1. Cast.*

2 Non sint faciles parochi in paschate ad concedendam licentiam communicandi extra parochiam: qui verò extra eam de eiusdem parochi licentia co- *ad c. 4. t. 4 Sy. 1. Cast f. 85.*

munionē ſumpſerint, ea de re doceant ipſum autenticè per teſtes, aut per idoneam ſcripturam. alioquin iterum communicent. ſin minus, interdicantur.

3 Poſt delatam ſanctiſſimam Euchariſtiam ad infirmos ſacras veſtes, & vaſa in nulla parte, vel domo curatus relinquat. ſed ad Eccleſiã decenter deferat. ad c. 22. t. 4 Sy. 1. Caſt. f. 92.

De Celebratione Miſſarum. Titulus Duodecimus.

1 MIſſa de Requiem, Dominico, aut alio feſto die, etiam ſi eſſet dies depoſitionis. nunquam celebretur. attamen pręſente corpore vnam tantummodo permittimus celebrari. ad c. 5. t. 13 Sy. 1. Caſt. f. 126.

De Sacramento Pœnitentiæ. Titulus XIII.

1 COnfeſſionibus audiendis præpoſiti in domibus, neq; ſuis, neq; alienis confeſſiones mulierum, aut puerorum, ſeù adoleſcentiũ non audiant, præter veram infirmitatis cauſam. marium verò non ſine rationabili cauſa.

2 Reuelantibus confeſſiones præter aliàs pœnas à ſac. canonibus inſtitutas excommunicationem latæ ſententiæ infligimus, Nobis reſeruatam.

3 Facultates conceſſæ per diœceſim audiendi cõfeſſiones Sacerdotibus etiam Regularibus Vicario foraneo oſtendantur, antequam confeſſiones audire incipiant. Vicarius tamen foraneus has facultates diligenter exquirat, & quanto tempore durent, dili-

genter notet. neque vltra præfinitum tempus sine facultate alicui confessiones audire permittat.

De Casibus Reseruatis.

Casus Illustrissimo, ac Reuerendiss: D. Angelo Casio Episcopo Ariminensi reseruati sunt, qui sequuntur.

1 CRimen superstitionis cum abusu sacramẽtorum, vel sacramentalium, vel saltem sacrorum verborum, aut sacrarũ reliquiarum cum expressa Demonum inuocatione, seù cum nocumento proximi. absq; tamen errore in intellectu, & extra casus Papæ reseruatos.

2 Blasphemia publica in Deum, seù in B. sẽper Virginem Mariam, & in Sanctos. quin etiam occulta, si sit consuetudinaria.

3 Falsa depositio, vel accusatio in iudicio cum damno proximi, medio iuramento.

4 Homicidium voluntarium in casibus apostolicæ sedi non reseruatis.

5 Verberatio parentum.

6 Non soluentes integras decimas, vel damnificantes bona Ecclesiarum.

7 Marium decimumquartum annum excedentiũ sodomia, & bestialitas, atq; incestus cum cognatis, tam carnalibus, quàm spiritualibus, seù etiam affinibus vsq; ad secundum gradum inclusiuè.

8 Damnificatio piorum locorum proueniens ab ijs, qui suos infantes per se, vel per alios ad ea exponunt. cum ipsi habeant vnde alant eos.

9 Vsura in contractu census, & in eo, quem vulgo dicunt, stoccum, & in alio, qui dicitur prestantia, & Notarij, & proxenectæ, seù mediatores, qui vulgo

Senſales nuncupantur, vſurarios contractus, vel obligationes facientes.

10 Laborantes, ſeù laborare facientes diebus feſtis de præcepto extra caſus in decreto de Feſtorum dierum obſeruatione expreſſos:

De Sacramento Ordinis. Titulus XIV.

1 ORdinandi ad titulum patrimonij illud agant, vt non modo in Subdiaconatu ſuſcipiendo, verùm etiam cum ad reliquos ordines ſacros promouendi ſunt, fiat priùs pro ſingulis publicatio patrimonij, ad cuius titulum ordinantur, duobus feſtis ante, vel poſt Miſſæ ſolemnia ſub forma præſcripta. *ad c. t. t. 7 Sy. 1. Caſt. f. 105.*

2 Patrimonium autem non ſit doloſum. quod ſi quis ſimulato patrimonio, aut ficta donatione promoueatur, ſit eo ipſo ſuſpenſus, grauiterq; etiam à Nobis puniendus. at qui verò patrimonium fictè donat, ſit eo ipſo excommunicatus.

3 Promoti ad ordines minores, ſiuè etiam ad tõſuram, qui continuò non incedunt cum habitu clericali, non gaudeant priuilegio fori, neq; ad vlteriores ordines promoueantur. nec etiam ſi per ſex menſes continuos parochis non præſtiterint auxilium in docendo doctrinam Chriſtianam.

4 Patrimonia ſeù neceſſaria ad victum futuris ſubdiaconis donata, vel aſſignata non approbabuntur: niſi verè in eorum ſint poteſtate ad fruendum. quare ad Inſtrumenta donationum conficienda, quæ vel à patre, vel ab alio fient, in gratiam promouendi, ad Subdiaconatum, adhibeatur Vicarius generalis, &

Cancellarius fori Episcopalis, qui vltra idoneam donationem examinet Viros fide dignos, cum iuramẽto: an ea bona, quæ dono dantur, sint verè donantis: & an ab eo quietè possideantur: & an ad clerici vitam honestè substentandam sufficiant: & an alia bona supersint donanti, ad eius vitæ substentationem necessaria: simul cum relationibus æstimatorum, & cum fideiussione de euictione in casu quod res donata euincatur, quæ in possessione promouendi sit. in scriptis omnia redigantur, pro euitanda fraude. Imo ordinandus bona fide iuratus spondeat se quod sibi donatum sit non retrocessurum. neque item alteri sine cõsensu Ordinarij alienaturum. cum sine eius licentia sit omninò inalienabile. nec possit extingui, vel remitti, donec beneficium Ecclesiasticum sit adeptus, sufficiens ad vitæ eius substentationem, vel aliunde habeat vnde honeste viuere possit. alienatioq; vel extinctio, aut remissio secus facta irrita sit, atq; nulla.

De Extremæ Vnctionis Sacramento. Titulus XV.

ad cap: 5. t. 2. Syn. 1. Cast. f. 79.

1 SAnctum Oleum Extremæ vnctionis conseruetur in vase argenteo, non autem stamneo, intra vas ligneum, decenter, & rectè occlusum, atq; ad eam formam aptatum, quæ in decretis statuta est.

De Sacramento Matrimonij. Titulus XVI.

1 QVoniam experientia compertum est, diligentias à Prędecessoribus nostris adhibitas ad impediendas sponsorum cōuersationem, antequam matrimonium per verba de præsenti contraxerint, ex qua scandala sæpenumero oriri conspiciuntur, parum adhuc profuisse; propterea, vt huic abusui consulatur, fortioribus remedijs vtendum esse duximus. Quapropter sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Nobis reseruatæ, præcipimus, & mandamus, ne sponsi antequam matrimonium per verba de præsenti in facie Ecclesiæ legitimè contraxerint, vllam inter se conuersationem, in figurā matrimonij, quæ solis coniugibus licet, habere præsumant; Idq; Parochi, vt inuiolabiliter obseruetur, populo sæpè, denuncient, sponsosq; moneant, ad prę scriptum Salicinij. *ad c. 1. tit. 9. Sy. 2. Sal fol. 208.* *Sal. vbi supra.*

2 Impedimenta matrimonij dolosè reticentes, aut falsa proponentes ad hoc, vt matrimonium iniustè, vel contrahatur, vel impediatur, eo ipso sint excomunicati. & alijs etiā subijciantur pœnis arbitrio nostro imponendis: prout delicti qualitas exposcet.

De reuerentia Ecclesijs debita. Titulus XVII.

1 ECclesiarum portæ pulsato signo salutationis angelicæ tempore vespertino claudantur, ne post illud tempus in eas pateat aditus;

præ-

præſertim mulieribus. ad euitanda ſcandala, vel murmurationes, quæ inde oriri poſſent. Quando autem abſoluta neceſſitas cogeret, eccleſiam nocturno tempore patere: & ità ſit luminibus ardentibus illuminata, vt omnia clarè conſpici poſſint.

De Proceſſionibus. Tit. XVIII.

IN omnibus ſanctiſſimi Sacramenti proceſſionibus, cantentur hymni, cum ſtatis antiphonis, & orationibus, vt in nouo Rituali præſcribitur.

De funeribus, & exequijs. Titulus XIX.

IN danda Clericis, & Eccleſijs eleemoſina occaſione funerum, vel exequiarum volumus, vt ſit in arbitrio hęredum defuncti diſtribuere, vel candelas, vt in Ciuitate noſtra antiqui moris eſt, vel earum loco pecuniam illis æquiualentem, prout ipſis magis libuerit.

De ſepulturis. Tit. XX.

1 PArochi neque in ſuis Eccleſijs, neq; in oratorijs (ſi quæ ſint in eorum parochia) vllũ permittant conſtrui de nouo ſepulchrum niſi priùs in ſcriptis impetrata à Nobis licentia.

2 Sepulchra ſiant fornicata, & cum duplici operculo. ſubtus quidem ſaltem ligneo, ſuperne verò ex lapide integro.

3 De ſepeliendis exteris ſeruetur Decretum Pauonij. ſi quis vero exterum induxerit ad eligendam

in sua Ecclesia sepulturam, pœnis à Iure statutis puniatur.

De fabrica Ecclesiarum, & Altarium. Tit. XXI.

1 Ecclesiæ, Oratoria, & Capellæ cultui diuino dicatæ, quoties opus fuerit, restaurentur: portæ clauibus firmiter obserentur: tecta sarciantur: pauimentum lateribus consternatur: nihil deniq; quoad fieri potest prætermittatur, quod ad decorem domus Domini pertinere possit. earum pauimento terra extrinsecus supereminens tribus saltem pedibus mensuræ communis distet à muris, ne aliquid humiditatis intra eas dilabatur.

2 Campanile turritum ostio claudatur, seraq; & claui muniatur. vt semper clausum remaneat, præterquam cum pulsandæ sunt campanæ.

3 In reliquis autem, quæ spectant ad fabricam Ecclesiarum, altariumque seruentur, instructiones à Nobis dandæ.

De Cemeterio. Tit: 22.

IN vnoquoque Cemeterio Crux ferrea, vel lignea conuenientis magnitudinis erecta semper conseruetur in medio.

De Ecclesiarum bonis, ac Iuribus conseruandis. Tit. XXIII.

1 BOna, & Iura Ecclesiarum, & alia quoquomodo ad ipsas spectātia, siuè mobilia, siuè immobilia sint, accuratè conseruentur, tū à Parochis, tùm ab omnibus earumdem Ecclesiarū, ac Piorum locorum administratoribus. neq; quis ea vsurpare præsumat, aut permittat, sub pœna excommunicationis, alijsq; in Decreto Sac. Conc. Tridētini contentis. Neq; venditione, aut alio quoque titulo alienentur.

...ss: 22. c. 1. de ref.

2 Notarij, qui de pijs legatis in testamento relictis rogati sunt, cum primum testamenta morte fuerint confirmata, eorum legatorum notulam in scriptis Nobis, aut Vicario nostro Generali intra mensem exhibeant. aut, si in diœcesi sint, nostro Vicario eius regionis foraneo, qui intra totidem dies ad Nos deferat. vt negligentes ad illorum satisfactionem cōpellantur. vlteriusq; ijdem notarij intra idem tēporis spatium ijs denunciabunt, in quorum fauorem pia illa legata sunt facta. Notarius qui non paruerit, sit ipso facto excommunicatus, absolutione Nobis reseruata.

...d c. 13. 1. ..Sy. 1. Sal. ..185.

3 Ne scripturæ ad Ecclesias pertinentes pereant, quod non sine earumdem Ecclesiarum damno potest euenire, Archiuium in singulis Ecclesijs, & pijs locis, aut saltem fenestella aliqua loco archiuij cōstruatur, sera, & claui munita. vbi tàm libri, quàm Instrumenta, Inuentaria, & genus omne scripturarum ad dictas Ecclesias pertinentia recondantur.

...ad c. 19. 1. ..13. Sy. Pa. ..f. 62.

4 Ad bonorum Ecclesiasticorum conseruationē mandamus, vt ij, penes quos, in præsentiarum instru-

menta,

menta, & alia cuiuſuis generis ſcripta reperiuntur, ad Epiſcopalem Eccleſiam noſtrã, vel ad alias quaſcumque, ſeù loca pia pertinentia, infrà menſem Nobis, aut Eccleſiarum Rectoribus, ad quos ea ſpectãt, ſignificare teneantur, & ad omnem eorum poſtulatũ eadem liberè reſtituere. quod ſi dicto tempore elapſo illa, apud quemquam repertæ fuerint, is tamquam doloſus, eorum occupator, & ſuppreſſor, ſeuerè puniatur. & ne quis horum ignorantiam ſimulare poſſit, parochi omnes hoc decretum inter Miſſarum ſolemnia, populo annuncient. & tunc ſtatutũ tempus a b ipſa denunciatione decurrere incipiat. quam denunciationem ſingulis annis reiterent.

5 Vt autem nulla prætermittatur diligentia, quæ bonorum eccleſiaſticorum adiuuare poſſit conſeruationem, ità vt, ea neq; alienari, neq; diſtrahi aliqua ratione queant; & ſi hoc quandoque contingat, facilis eorum reddatur recuperatio: mãdamus, vt quarũcumq; Eccleſiarum Rectores, necnon piorum locorũ adminiſtratores, intrà ſex menſes ab horum decretorum publicatione incohandos, ſuarum Eccleſiarum beneficiorum, altarium, oratoriorum, montium pietatis, ſocietatum, hoſpitalium, monaſteriorum, monialium, & quorumcumq; piorum locorum, Inuentarium conficiant bonorum omnium mobilium, & immobilium, iuxta formam inferius deſcribendam, ordinatim, & diligenter in libro ad hoc ſpecialiter deputato. Cuius Inuentarij originale ad Nos trãſmittatur perpetuò conſeruandum in Archiuio Epiſcopalis Curiæ noſtræ: copiam verò authenticam apud ſe retineant in archiuio ſuæ eccleſiæ, ſiuè loci pij perpetuò conſeruandam. qui verò hac in re fuerint negligentes, grauiter arbitrio noſtro punientur.

ad c. 8. tit. Sy. 1. Sal. 184.

6 Cuiuſlibet antè Eccleſiæ amouibiles cappellani,

dum earum ſuſcipiunt adminiſtrationem, etiam per Inuentarium, bona mobilia illius eccleſiæ, oratorij, vel ſacelli, ſibi conſignanda curent. quod ſi pauperes fuerint, cautionem præſtent de accurata, & fideli cuſtodia eorum bonorum habenda; deq; ijs ſuo tempore reconſignandis. Neq; in ſui officij poſſeſſionem adſciſcantur, donec talia adimpleuerint.

d c. 11. ſ. 3. Sy. Pa. 66.

7 Quandocumq; aliquam Eccleſiam vacare contigerit, illico Vicarius generalis in Ciuitate, & foraneus in diœceſi, ſedulo prouideat, ne ab hęredibus Rectoris defuncti, aut ab alio quocumque, ſcripturæ aliquæ, aut bona cuiuſuis generis ad vacantem Eccleſiam ſpectantia, dimoueantur.

8 Eccleſiæ ſuppellectiles, ſcripturas, aliamvè rem vllam, mala fide ſportari, ſeù aſportatas retineri prohibemus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, à quà nemo, niſi facta reſtitutione, abſolui poſſit.

De forma Inuentarij. Titulus XXIV.

1 Conſcribantur Inuentaria hæc Notarij publici manu. quod ſi notarius haberi non poſſit; ipſimet Rectores, vel alij Eccleſiarum, ſeù piorum locorum curam habentes, adhibitis ſecum Maſſarijs, & Vniuerſitatis Syndico, ſeù publicis officialibus, quocumq; nomine vocentur: his verò deficientibus, tribus ſaltem teſtibus ſenioribus de populo, qui de eccleſiarum iuribus plenam notitiam habeant, Inuentaria iſta conſcribant.

2 Hæc Inuentaria non ex cataſtris, ſeù antiquis monimentis excipiantur, ſed de nouo fiant. vt ſic termini, atq; confinia vera recognoſcantur, & eo modo

ac sub ijs nominibus describantur, sub quibus eo tẽpore quo fit Inuentarium, reperiuntur.

3 In rerum autem omnium descriptione hic ordo seruetur, & forma teneatur.

In Nomine Domini Amen.

Hoc est Inuentarium omnium bonorum, mobilium, & stabilium, seù semouentium, fructuum, reddituũ, iurium, & actionum Ecclesiæ N. (& exprimatur, an illa simplex sit, an vero parochialis) celebratum sub die mensis præsentis anni, per D. N. dictæ Ecclesiæ Rectorem, & me Notarium publicum infrascriptum in domibus, &c. in præsentia, & iuxtà relationem, & assertionem dicti N. Rectoris, & N. N. N. hominum de infrascribendis plenam cognitionem habentium, medio eorum iuramẽto per me Notarium, eisdem de dicenda veritate delato, prout tactis, &c. Quod si absq; notario Inuentarium fieri cõtingat, præcedens descriptio, mutatis tamen paucis verbis, & omisso Notarij nomine inseruire poterit.

4 Quibus ità præmissis describatur in primis Ecclesia sub hac forma. Ecclesia prædicta N. posita est, &c. hic describatur locus Ecclesiæ cum suis confinibus, siuè sit vrbana, siuè ruralis, aut alio in loco constituta: Adnotetur postea pariter eius latitudo, longitudo, & altitudo, & cuius qualitatis sint illius parietes, tàm intus, quàm extra, quod habeat Ecclesia frontispicium, quod atrium, quam porticum, quæ sit Ecclesiæ forma, an ad instar Crucis, vel aliter ædificatæ, pauimenti similiter, tecti, campanilis, ostiorũ, & fenestrarum qualitates, conditiones, & situationes describantur, deinde Altaria omnia, quæ in Ecclesia existunt, illorum denominationes, altitudines, latitudines, longitudines, & ornatus, tàm picturarũ, quàm paramentorum cũ adnotatione, an illa dotata

ſint, & in titulum conferantur.

5 Notentur poſtmodum in eodem Inuentario, mobilia Eccleſiæ bona, hoc ordine, vt primo Tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, & omnia ad illius vſum, & ornatum ſpectantia deſcribantur: deinde fons baptiſmalis, ſi ibi eſt, cum omnibus, quæ ad vſum, & ornatum illius ibi comperiuntur; ſanctorum pariter oleorum vaſa, locus, & ornatus: Campanarum etiam magnitudo, & ſi haberi poteſt, pondus, & quæ ſint illis verba conſcripta, vel ſi aliquibus alijs ſint illæ notis ſignatæ: poſtmodum cruces, imagines, calices, & alia quæuis ex argento, ære, ſeù ex alia materia conſtructæ, adnotatis omnium ponderibus, numero, & ornatu.

6 Item quæcumq; alia ſacra, & non ſacra ad ſacramentorum adminiſtrationem, & diuinorum officiorum celebrationem pertinentia, Planetæ, Pluuialia, Dalmaticæ, Diaconales, & Subdiaconales, Tunicellæ, indumenta linea, mappæ, ad apparatum Altarium, & aliæ breuiores, cum expreſſione colorum, qualitatum, & numeri omnium, & menſuræ: Miſſalia, breuiaria, libri omnes ad diuina officia, funera, ſedes, capſulæ, & vniuerſa denique Sacriſtiæ ſupellex deſcribatur. Subſequenter in prædicto Inuentario connotentur domus, prædia, officinæ, horti, & ſimilia Eccleſiæ coniuncta, aut contigua, cum ſuis confinibus, & ſituationibus, exprimendo, cuius illa valoris ſint, an domus illas Rector inhabitet, vel ſint locatæ, & cui, & quando, & quanti, & quæ, item ſit domeſtica illius Eccleſiæ ſupellex.

7 Deſcribantur deinceps bona ſtabilia quæcumque ab Eccleſia poſſeſſa cum adnotatione confiniũ, quantitatum, ſituationum, & reddituum: & an redditus in vino, frumento, & oleo, ſeù alia re, conſiſtãt.

ſi ex

si ex dictis bonis aliqua in emphiteusim, seù alio titulo legitimè sint locata; & quandiù duret hæc concessio; & per quem Notarium scripta: & quibus conditionibus, & responsionibus sit collata.

8 Describatur etiam in hoc Inuentario, an Ecclesia sit in possessione, vllos exigendi census, cum expressione causæ impositionis census, temporis, & notarij rogati; an ecclesia aliqua animalia possideat, & cuius sint speciei; qui fructus ex ipsis percipiantur, quis illa retineat, & quibus conditionibus: an habeat ius exigendi decimas, & eas à quibus, & qua ratione, & nihil omnino ad ecclesiam attinens prætermittatur.

9 Referantur pariter in hoc Inuentarium onera Ecclesiæ: an aliquid Rector soluat Vicario perpetuo, aut Cappellano amouibili, alteri Ecclesiæ seruienti: an quid soluat pro satisfactione piorum legatorum, vel ex alio onere: an Ecclesia grauata sit pensione, declarando, quanta sit, & cui soluatur.

10 In hoc etiam Inuentario explicentur bona Ecclesiæ illegitimè alienata; & quæ ab aliquo illegitimè detinentur; & exponatur, ex quo tempore alienata, siuè occupata, fuerint: an super illis, seù alijs quibusuis bonis controuersia vlla, & lis coram Iudice vertatur: quisvè litis sit status, & processus.

11 Demum Inuentarium hoc Rectoris, Syndici, seù Massariorum, ac testium subscriptione, sub hac forma confirmetur.

12 Ego N. Rector supradictæ Ecclesiæ N. hoc præsens Inuentarium rerum, & bonorum ad dictam meã Ecclesiam spectantium, & quæ ego respectiuè, vt suprà, pacificè possideo, confeci, & in præmissorũ omnium fidem me subscripsi, & ità iuro.

13 Ego N. Syndicus, seù Massarius, aut testis de

loco N. dum rerum, & bonorum omnium supradictorum, quorum me notitiam habere affirmo, præsés Inuentarium conficeretur, interfui, atque in fidem præmissorum omnium me subscripsi, & ità iuro.

14 Quod si aliquis testis adhibitus, seù Syndicus, aut Massarius scribere nesciat, alter pro eo, sub hac forma subscribat.

15 Ego N. de mandato N. qui asseruit celebrationi supradictarum rerum, & bonorum, de quibus se notitiam certam habere iurauit, scribere nescientis, hoc prẹsens Inuentarium manu propria subscripsi, & ità iuro.

16 His munitum subscriptionibus Inuentarium Notarius publicabit. & Ecclesiarum Rectores, quod his nostris constitutionibus sancitum est circa illud obseruabunt.

17 Hæc autem eadem forma seruetur in descriptione bonorum, & rerum Monasteriorum, Hospitaliũ, Societatum laicorum, Montium Pietatis, & quorũcumq; piorum locorum.

De Ecclesiarum collatione. Titulus XXV.

ad c. 1. t. 6. Sy. 1. Sal. f. 196.

1 AD Ecclesiarum vacantium concursum omnes quidem per edicta inuitari volumus, ità, vt nemo concurrere volens, repellatur: attñ illos dumtaxat cõparere percupimus, quos virtutum, ac religiosorum morum, testimoniũ commendabiles reddit. adeò vt humano vlli fauori non opus habeant confidere. & propterea eos à beneficijs consequendis eo ipso exclusos esse, declaramus, qui ad Nos, cum literis commendatitijs quorumcumque accesserint.

Prohi-

2 Prohibemus etiam, pœna excommunicationis proposita, & ipso facto incurrenda, cuius absolutionẽ Nobis reseruamus, præter obligationem ad restitutionem illati damni, ne quis directè, vel indirectè, minis, promissis, aut quolibet alio modo aliquem cõcurrere, aut examini, pro beneficio obtinendo, se submittere volentem, impediat.

3 Inhibemus etiam ne concurrentes inter se paciscantur, de non concurrendo, ad aliquod beneficiũ, in alterius commodum, & fauorem. quod si aliquos ità pacisci contingat: eos ad illud beneficium consequendum inhabiles omninò esse volumus, & declaramus.

De confidentijs. Titulus XXVI.

1 COnfidentiæ crimen admittentes ipso iure sunt omnibus beneficijs priuati, & in futurum ad alia consequenda incapaces, & in iuris subsidium excõmunicationis sententia innodati, à qua præterquam in mortis articulo, non possunt ab alio, quam à summo Pontifice absolui.

2 Testes, mediatores, & notarij, qui de hoc crimine informati suam operam præstant, & rogantur, à Nobis, tanquam symoniaci, erunt puniendi.

3 Vt vero fraudibus, quæ in beneficijs iuris patronatus committi quandoque solent, pro virili parte obuiemus: omnes ad beneficia quæcumque iuris patronatus præsentati, antequam beneficij possessionem recipiant, iuramentum coram Nobis, vel nostro Vicario generali sub forma sequenti præstent. alioquin fructus non faciant suos.

4 Ego N. præsentatus ad beneficium N. iuro, & profiteor per hæc sancta Dei Euangelia, quæ meis manibus tango, neq; me beneficij huius obtinendi causa, vt ad illud præsentarer, vel nominarer, neque alium quemquam meo nomine, aut me sciente, & consentiente quicquam patrono, seu patronis, vel cuiquam alteri, promisisse, dedisse, compensasse, aut priùs datum confirmasse, vel apud quemquam deposuisse, aut mutuo dedisse, vel locasse, siuè priùs mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocumque titulo mihi debitum, remisisse, neque de domibus, terris, prædijs, redditibus, huius beneficij, fructibusvè, decimis, aut oblationibus, eiusdem præteritis, præsentibus, vel futuris, donationem, remissionem, locationem, promissionemve fecisse, aut iniuisse. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

De Parochis. Titulus XXVII.

1 VT propriæ Curæ parochus studiosius inuigilet, aliquod aliud onus non suscipiat, vel celebrationis missarum, vel alterius cuiuscumque rei, vel alteri Ecclesiæ deseruiendo, quod suæ Ecclesiæ, vel animarum sibi commissarum regimen impedire possit: totus igitur Ecclesiæ suæ incumbat: Missas, ceteraq; diuina officia celebret, saltem diebus festis, vlteriusq; ter in hebdomada, & pia circa proprium gregem charitatis opera, assidue præstando debitum Domino persoluat famulatum.

2 Benedictionem domorum quotannis iuxta præscriptum Ritualis Romani faciat. domus autem impudicarum mulierũ, & eorum, qui peccatores notorij

sunt

ſunt omninò non benedicat, neque illorum, qui prę-terito anno communionem non receperunt; ijſq; in die Purificationis candelas, & in die palmarum palmas, non diſtribuat.

3 Quod vero ſpectat ad benedictionem domorũ ab Epiſcopo Pauonio Archipresbyteris permiſſam, ac fontem baptiſmalem habentibus in tota ſua Plebe, vbi talis vigeret conſuetudo, eatenus id permittimus, quatenus ijdem archipresbyteri ſingulas proprie parrochiæ domos, hoc munus exercendo priùs perluſtrauerint; & tunc neque caniſtrum, neq; aliud quidquam deferant pro recipiendis, & recondendis oblationibus. Si quis autem directè, vel indirectè per ſe, vel per alium, etiam ſigno, vel nutu petierit, etiam anticipate, pœnam decem aureorum incurrat, præter alias pœnas à noſtris prædeceſſoribus cõſtitutas, quas confirmamus. *Ad c. 1. tit. 10. Sy. Pa. f. 38.* *ad c. 9. tit. 10. Pau. fo. 43.*

4 Cum parochus ſemper omni ſtudio eniti debeat, vt oues ſibi à Diuina benignitate commiſſas, omnibus euulſis ab eis Diaboli incitamentis, in viam ſalutis dirigat; ideo potiſſimum tempore præſtare debet, quo acriores ſunt inimici pugnæ, dum ſcilicèt inſtante mortis articulo ad perdendas animas Chriſti ſanguine redemptas, omnes armantur ſpirituales nequitiæ, omniſq; Inferni ſe ſe præparat potentia. Cùm primum igitur nouerit parochus, aliquẽ in ſua parochia ægrotare, ipſum adeundi ſumat occaſionem; ac oportunè, de ſalute loquendo, eum benignè admoneat; vt de commiſſis peccatis confiteatur, & de rebus ſuis adhuc ſenſu, & ratione vigente ritè diſponat. Et quando opportunum fuerit, Euchariſtiam reuerenter ſumat: Extremamq; vnctionem, dũ integris eſt ſenſibus, ingraueſcente morbo, ſibi exhiberi, poſtulet. Hæc autem omnia parochus tempo-

re, & sermonibus aptis, ad eo prudenter peragat; vt infirmo potiùs consolationem afferat, quam timorē incutiat. Cum vero infirmus iam morti videbitur propinquus, sæpiùs eum inuiset parochus, eumq; animam agentem statis precibus, Deo commendet, iuxta Ritualis Romani formam, ad actus perfectæ contritionis, ad confidentiamq; in diuina pietate excitare conetur, Domini nostri passionem in memoriā redigendo, ac Crucifixi Imaginem osculandam proponendo. Et deniq; nihil eorum prætermittat, quæ animam ad fœlicem transitum adiuuare possint: adhibendo libellos piorum auctorum, qui de hac materia sunt editi.

Sess. 23. de ref. cap. 1.

5 Quoniam à Sacr. Conc. Tridnntino parochis omnibus vetitum est à propria parochiali Ecclesia sine Episcopi licentia discedere: ideò eiusdem Concilij, & Prædecessorum nostrorum vestigijs inhærendo, præcipimus omnibus Diœcesis nostræ Parrochis, & Curatis, vt personalem in suis Ecclesijs residentiam continuò faciant, iuxtà præscripta Decretorum Castellij, & Pauonij Episcoporum.

Cast. c. 14. t. 12. Sy. 1. f. 120. Pau. c. 108. 1c. f. 43

Sal. Sy. 2. tit. 1. c. vnic. f. 202.

6 Qui autem sine legitima facultate, præsertim pernoctaturus, abfuerit, pœnis ibidem, & ab Episcopo Salicinio staiutis puniatur. Qui vero Rectores, aut principales Curati non sunt, sed eorum absentium vices gerunt, quoties in hoc deliquerint, eo ipso per mensem ab exercendæ curę officio sint suspēsi; pecuniariam verò pœnam ipsimet principales Curati soluant, quia Ecclesię suæ de negligenti ministro prouiderunt.

7 Qui propè Ciuitatem beneficia habent, & à Vicario foraneo longiuscule distant, ità vt ab eo discedendi facultatem sine graui incommodo requirere nequeant, si ad Ciuitatem vrgens negotium illos

impellat

impellat, breui tamen redituros, possint absq; dicta licentia ad Ciuitatem accedere, dummodo coram Nobis, aut nostro Vicario generali se confestim presentent, sub poenis à Prædecessoribus nostris impositis, quas innouatas esse volumus. non tamen absq; nostra, vel nostri Vicarij generalis expressa licentia in Ciuitate pernoctare audeant.

De Vita, & honestate Clericorũ. Titulus XXVIII.

1 CLericos, super quos inuocatum est nomen Domini, Sanctos esse oportet: quia & Dominus, qui illos sanctificat, sanctus est. quapropter humilitatem, ac sanctimoniam, quibus debent esse ornati, extrinseci etiam habitus modestia, ac grauitate, conuenit eos manifestare; vt illos non solùm religionis professio, verùm etiam ipse vestibus à laicorum moribus secernat.

2 Clerici ergo siuè in maioribus, siuè in minoribus ordinibus constituti, qui clericalibus potiri volunt priuilegijs, clericalem habitum, & tonsuram cõspicuam, ordini suo congruentem perpetuò gerant, & Ecclesiæ, cuius seruitio adscripti sunt, diligenter inseruiant.

3 Habitum clericalem autem declaramus esse, vestem nigri coloris, quæ ad talos vsque demittatur. & omninò in omnibus, quæ ad vestitum pertinent clericorum, atque ad ordinem clericalem, Prædecessorum nostrorum decreta, præcipuè autem Episcopi Pauonij, seruari mãdamus. Admonentes insuper, vt interior etiam habitus nigro exteriori modestia coloris respondeat. vt neque etiam in tibialibus liceat

c. 3. p. 1c
Sy. Pau:
39.

vti colore, nisi violaceo, fuluo, & cineritio subobscuro. calcei quoque sint simplices, non ad vanitatem incisi, quorum laterales orbiculi parui sint, vt ad cōmoditatem, nō ad pompæ ineptiam, facti esse, cognoscantur: nec habeāt calopodia sub calcaneis, siuè calcaniculos, vt dicunt, qui potiùs vanæ ostentationi, quam vlli necessitati inseruiūt: ligulæ ad eos obstringendos similiter simplices sint ad necessitatem, non ad vanitatem adhibitæ. Idem seruetur de cingulis, quæ ad tibialia constringenda vsui sunt. & omninò in quacumque parte habitus etiam interioris, nihil reperiatur auri, vel argenti.

4 Quoniam vero hyemali tempore in diœcesi valde incommodum est, talaribus vestibus vti, maxime cum per vias cænosas, vt sæpenumero contingit, incedendum est; permittimus, vt in quattuor mensibus hyemalibus deferri liceat ruri vestem contractiorem, quæ scilicèt media crura pertingat, vel saltem vltra genua protendatur. ijsdem quatuor mensibus dum extra Ecclesiam contingit cum superpelliceo, aut propter supplicationes aut alias quascumq; causas incedere, eo tempore, quo niues, aut pluuiæ, aut alia grauis cœli intemperies vrgeat: liceat vti pileo ad tuendum caput, de licentia Vicarij foranei, si adsit, vel eo absente, dignioris de clero. modo tamē biretum manu gestetur. quod biretum volumus esse non sordidum, aut incompositum, sed tale, quod decorem, & honestatem præseferat.

ad c 5. t. 10. Pan f. 40. 5 Arma nullius generis, siuè ad offensionem, siuè ad defensionem pertineant, aut etiam ad venationē tantummodo, neque interdiù, neque noctu ferantur, sub pœna scutorum viginti quinque. Archibusium verò pœnam habebit scutorum quinquaginta, & carceris nostro arbitrio. Quod si palam gestentur, tàm

in Ciuitate, quam extra, tàm de die, quàm de nocte, pœna duplicetur, vltra omnium armorum amissionē, quas multas Nobis etiam aggrauandas reseruamus iuxtà qualitatem casuum arbitrio nostro.

6 Venationem contra sacrorum Canonum decreta clerici non exerceant, sub pœnis à Salicino statutis, neque canes eam ob causam, neq; accipitres alant: qui si in eorum domibus, etiamsi alieni sint, reperiantur, deperditi prorsus intelligantur. *Sal. Sy. 1. t. 8. c. Unic. f. 197.*

7 Ludos quoscumq; in locis publicis prohibemus. alearum verò, talorum, seù taxillorum, ità vetamus, vt in omnibus, & per omnia decretum Episcopi Salicinij ea de re innouatum esse velimus, absq; vllà moderatione, sub eadem pœna suspensionis, & alijs prout in eo. *Sy. 2. t. 11. f. 211.*

8 Noctu clerici domo non exeant, nisi ex vrgenti causa.

9 Ad cauponas, & tabernas, nisi in itinere, necessitatis gratia non diuertant.

10 Personati non incedant; choreas non ducant, & in comœdijs non recitent, sub pœna suspensionis: choreis quoq; saltationibus, spectaculis, comœdijs, & conuersationibus, maximè mulierum, nō intersint. *ad c. 7. t. 10. Pau. f. 42.*

11 Clerici ab omni suspectarum mulierum conuersatione, & habitatione, ac familiaritate longe se abstineant. vt non modo culpa, sed etiam suspicione careant, & scandala tollantur, quæ facile possent euenire. Innouantes super hoc Decretum Episcopi Castellij, quod omninò seruari volumus, nisi tamen à Nobis obtinuerint, scripto, licentiam. sine qua nolumus etiam, vt liceat clericis, docere mulieres, artē legendi, scribendi, cantandi, sonandi, aut quicquā aliud. *ad c. 19. t. 10. Syn. 3. Cast. f. 174.*

12 Eos, qui in primæ tonsuræ, vel minorum ordi-

num susceptione alicuius Ecclesiæ seruitio adscripti sunt, nisi actu inseruierint, & similiter eos, qui Ecclesiæ nunquam inseruiunt, sed mundo, ac Sathanæ potiùs, & clericalem habitum, atq; tonsuram non deferunr, præsenti nostro decreto priuilegio clericali priuamus, & priuatos decernimus.

13 In celebratione Missarum, & in recitatione officij diuini à Missalis Romani, & Breuiarij rubricis, clerici non discedant, quæ in Kalendario nostro de die in diem explicantur. Quo autem ad ceremonias libellum hac de re Romę editum omninò obseruent, quem denuò hic imprimi curabimus.

14 Tempus otiosè non conterant. sed studijs, & honestis exercitationibus operam iugiter dent. Et quod præcipuum ecclesiasticorum hominum munus est, spiritualem totis viribus, Deo adiuuante, profectum exquirant. quem vt faciliùs à diuina benignitate consequi possint, aliquod temporis spatium, quotidie orationi tribuant, ac spiritualiũ librorũ lectioni.

15 Habeant propterea librum aliquem probati auctoris, piarum meditationum, quibus in oratione vti possint, & aliquem alium librum ad lectionem, vt Rodriquez de Exercitijs Perfectionis, vel Aloysij Granatensis, aut Thomæ de Kempis, seù cuiuspiam alterius probati auctoris, & eius libri saltem caput vnum singulis diebus attenta consideratione perlegant. Vbi verò plures Ecclesiastici ordinis viri sunt, parochus siuè alius in eo loco dignior omni sollicitudine studeat; vt ij qualibet hebdommada vno die, omnibus commodiori, conueniant, sanctæ simul orationi, ac sacræ lectioni, per horam saltem vacaturi. Eius normam libello edito proponimus, quo vti poterunt ij, qui tàm pium opus, ad quod eos in Domino iterũ, atque iterum hortamur, voluerint promouere.

16 Ad Monialium Monasteria nullo modo accedant, vt cum monialibus loquantur, nisi legitima vrgente causa a Nobis, aut Vicario nostro approbata, ac licentia in scriptis obtenta, sub pœnis in edicto nostro super hoc facto contentis.

17 Animarum nostri cleri saluti prospicientes, earumq; spirituali profectui, qui ob paruum confessariorum numerum non modicam iacturam pati potest, cum graue sit aliquando incommodum eos longiùs commorantes adire, eum ampliare decreuimus, itàut omnium commoditati etiam consulatur: ij igitur omnes erunt cleri confessarij ad nostrum beneplacitum, qui à Nobis talem facultatem scripto obtinuerint. Nomina vero in Tabella in Palatio Episcopali affixa, descripta erunt.

De Monialibus. Tit. XXIX.

1 Virgines, quæ sęculum relinquentes in sacraq; Monasteria se recipientes totas se Deo, ac diuino famulatui dedicarunt, animum curis omnibus mundanis vacuum, ac liberũ habere debent, vt soli Deo, & Iesu Christo earum sponso tota mente inseruire possint. quapropter, vt purè ab omnibus sæcularibus negotijs, & vanis cogitationibus, & collocutionibus, quæ possent sponsas à suo sponso distrahere, conseruentur, soliq; Deo placere studeant: Mandamus, & distictè prohibemus, ne vllus ad loquendum cum Monialibus, seù cum alijs mulieribus intra clausuram habitantibus accedere audeat, sine vrgenti causa Nobis, aut Vicario nostro generali probata, & sine facultate scripto obtenta, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurendæ, ac Nobis reseruata.

ad c. vn. s. 11. Pau. f. 48.

2 Contra inobedientes autem procedemus, non modo per accusationem, sed etiam ex officio, & per inquisitionem.

3 Concedimus tamen Patri, Fratribus, patruis, & auunculis, ac Nepotibus primi gradus, etiam Ecclesiasticis alicuius monialis, aut alterius mulieris intra septa existentis, vt eam, cum assistentia tamen deputatarum, ter in mense ex rationabili causa visitare possint: similiterq; Nobilibus, & honestæ famæ mulieribus, quæ consanguinitate, aut affinitate alicui supradictarum coniunctæ sunt, vsq; ad tertium gradum inclusiuè, idem indulgemus, exceptis diebus festis, & ieiuniorum.

4 Cæterum supradicti omnes tàm viri, quàm fœminæ caueant ne occasione visitandi coniunctas, cũ alijs etiem colloquantur, nam eo casu in supradictas, & alias pœnas ipsos incurrere omninò volumus, & declaramus.

De Sodalitatibus laicorum. Titulus XXX.

1 VT ex Sodalitatibus laicorum eæ vtilitates, ac spiritualia emolumenta percipiantur, pro quibus in Dei Ecclesia sunt institutæ, studeant earum Præfecti, & Officiales spiritualia, & pia exercitia, ad quæ eæ fuerunt erectæ, restituere, si intermissa sunt, & in vsum inducere quã primum, si nondum adhiberi solent. curent itaq; vt Confratres diebus festis conueniant ad recitandum officium B. Virginis, aut alias preces confratriæ instituto congruentes. Ruri autem, vbi homines rudes literas ignorant, saltem recitetur alternatim

Rosarium Gloriosæ Virginis sodalitatum omnium Patronæ; excitent etiam sodales, & confratres suos, vt sœpè communicent, Indulgentiasque à Summis Pontificibus concessas lucrifacere, non prętermittāt.

2 In suum numerum non admittant vllum doctrinæ Christianæ ignarum, nisi confratria ea sit, quæ eam doctrinam ex suo instituto docere profiteatur, neq; item vllum malæ conditionis, & famæ, puta facinorosum, publicum vsurarium, concubinarium, & his similes. nisi prius resipuerint, & ad meliorem frugem redierint.

3 Electiones officialium, si factæ fuerint contra formam à Prædecessoribus nostris decretam, nullæ, & inualidæ sint. & sic electi, à nemine, vti tales, recognoscantur. omninoq; quicquid à taliter electis fuerit gestum, irritū declaramus, & inane. Habeat vnaquęq; sodalitas libros omnes infrascriptos, videlicet.

4 Librum ordinationum suarum, in quo nihil aliud scribatur, nisi determinationes legitimè (hoc est capitulariter) factæ per ipsam sodalitatem, aut etiam per superiorem, aut visitatorem directæ, cum adnotatione diei, mensis, & anni.

5 Librum, in quo notentur incertæ pecuniæ, quæ dietim offeruntur, legantur, aut exiguntur, adiecto nomine dantis, ac die, mense, & anno.

6 Librum, in quo describantur annua legata cum annexis oneribus, & quæcumq; alia sodalitati incūbentia onera. siuè sint Missarum celebrationes, diuinorum officiorum recitationes, eleemosinarum distributiones, siuè alia quæcunque sint. quorum singulis descriptionibus relinquatur in fine spatium, in quo postea notari possit dies, mēsis, & annus, quo fuerint executioni demandata.

7 Librum Inuentarij bonorum societatis ad for-

mam Inuentarij superius à Nobis traditam, quod
ad c. 8. t. 2. Sy. 1. Sal. f. 184. omninò trium mensium spatio conficiant, idque ad
Nos transmittant.

De locis pijs, & eorum administratoribus. Tit. XXXI.

1 Piorum locorum administratores officij sui
ad c. 1. t. 2. Syn. 1. Sal. f. 182. possessionem non accipiant. nisi prius de munere fideliter exercendo, rationeq; reddenda in fine, non cauerint per fideiussionem, aut saltem per iuramentum præstitum in manibus Ordinarij, aut Vicarij generalis in Ciuitate, aut foranei in diœcesi, vel saltem proprij Parochi, si Vicarius longe distet. in hoc tamen casu volumus, vt Curatus ante susceptam ab officiali administrationem de prędicto iuramento fidem faciat, & transmittat suæ regionis Vicario. si secus factum fuerit, administratio nulla sit. & si talis prior aliquas expensas fecerit, tantundem refundat de suo.

ad. c. 12. t. 2. Sy. 1. Sal. f. 182. 2 Iidem administratores, si bona pij loci emerint, conduxerintvè, statim ab officio amoueantur. quod ad euitandas fraudes extendimus, si etiam suis consanguineis, aut affinibus locauerint, aut vendiderint, aut alias per interpositam personam ipsi emisse, aut conduxisse, aliquo tempore reperiantur.

3 Nemo in vna sodalitate, aut pio loco administrationem, aut officium gerens, in alio etiam officiũ aliquod exercere possit.

ad c. 6. t. 2. Sy. 1. Sal. f. 183. 4 Reuisores, vt appellant, qui actæ administrationis rationem supputare debent. eod: die eligantur, quo noui officiales electi sunt, suumque munus quamcitiùs expediant coram Vicario generali in

Ciui-

Ciuitate; aut foraneo in diœcesi. quod si vltra decẽ dies distulerint; noui ac diligentiores à Vicarijs ex officio deputentur.

5 Debitores omnes piorum locorum diœcesis nostræ per Vicarios foraneos ad soluendum cõgruo, sed breui, statuto termino, cogantur. quo elapso per mandatum executiuum compellantur. facto tamen eis antea præcepto de soluendo.

De Capellanis Sodalitatum. Titulus. XXXII.

1 CApellani Sodalitatum in Oratorijs, & Ecclesijs non parochialibus nulla exerceant parochialia munera. quare candelas in die Purificationis B. Mariæ ne benedicant, neq; cineres, aut palmas oliuarum, neq; mulieres post partum. dies festos, aut ieiunia non indicant; concionesq; non habeant. nisi tamen de parochi consensu à Nobis facultatem obtinuerint. Qua de re si à Vicario foraneo ter moniti non destiterint, suspensionem ipso facto incurrant. *ad c. 9. t. 13. Pau. f. 59.*

2 De hora, qua per ipsos cappellanos in Oratorijs missa celebrari possit, intra mensem cum parocho, aut curato concordent, deq; ea re Nos doceant, sub pœna suspensionis ab officio. *ad c 15. t. 13 Pau. f. 61*

1 LEges Synodales à nostris Prædecessoribus sancitas, cõfirmatas à Nobis esse volumus, & declaramus in omnibus, & per omnia, & ità seruari volumus, & mandamus. in his tamen dumtaxat, in quibus nostris non non repugnant cõstitutionibus, aut summorum Pontificum decretis,

quæ

quæ omnia primo loco ſeruari mandamus.

2 Denique præter pœnas contra tranſgreſſores conſtitutionum, & ſtatutorum pręſentis Synodi in ipſis conſtitutionibus appoſitas auctoritatem Nobis reſeruamus eas augendi, ipſosq; tranſgreſſores exilij, carceris, & pecuniarijs pœnis arbitrio noſtro applicandis, prout perſonarum temporis, & delicti qualitas poſtulabit, puniendi, mulctādi, & corrigendi.

LAVS DEO.



TITVLORVM Præsentis Synodi collecta adnotatio.

D E

Tabula Excommunicationum, quæ ipso facto incurendæ in præsenti Synodo imponuntur.

Suspensiones ipso facto in præsenti Synodo Clericis impositæ.

Index Rerum Notabilium.

A

B

C

H

I

M

N

O

P

anno

Contra-

L A V S   D E O.

